MATTHÆO
CONSILI
MEDICÆ

QUÆSTI
MEDICA

Mihi Res, non Me Rebus.



06.

Bibliothecæ
M. Hyacinthi Theodori Baron,
Antiqui Facultatis Medicinæ
Parisiensis Decani, nec non
Castrorum Regis et Exercituum
Protomedici.

4126/A
4125/
4124/ A xxx. Mar
Hodgson Jan 26/28
Lot 219 = 20/-

Trois traités du même auteur
dans ce volume.
Le Second traité *Quaestionum*
Medicatum enodatio, a été reimprimé
beaucoup plus ample, puisqu'il
contient Cent Questions: mais
on a ommis dans la Seconde edition
les observations de medecine qui se
trouvent icy a la fin du traité;
ainsi il est necessaire d'avoir les
deux Editions.

QVÆSTIONVM MEDICARVM ET IVCVNDARVM ET LEctu dignarum ac Practico inprimis neceſſariarum

ENODATIO SCHOLASTICA

Auctore

IOANNE MATTHÆO, HESSO, Medico March. Badenſi.

OPVSCVLVM OPPIDO Elegans.



FRANCOFVRTI
Ex Officina Zachario-Paltheniana.
M. DC. III.

STRENVO, ET ANTIQVI GENERIS SPLENDORE NOBILISSIMO VIRO, DOMINO PLICARTO ab Helmſtat, aulæ Sereniſſimi Electoris Palatini Mareſcallo, domino & fautori ſuo colendiſſimo.

COMMVNITER dici ſolet Strenue & Nobiliſsime domine, Theologo nihil eſſe turpius, quam ſine ſacræ ſcripturæ teſtimonio loqui: Conſtat enim varios errores exſtitiſſe, quando neglecta ſacra ſcriptura & phraſibus in verbo Dei vſitatis, hominum auctoritas introduci, & inuſitati loquēdi modi vſurpari cœperunt. Hinc in memoriam ſæ-

pe reuocaui illud Galeni libr. 2. meth. c. 5. medicum non eſſe, ſed tyrannum, qui ſine ratione ſibi ſidem in medicina adhiberi velit. Quemadmodum igitur Theologo ſine ſcriptura ſacra loqui, ſic medico ſine ratione aliquid ſtatuere, turpe eſt & ignominioſum. Quamuis autẽ Experientia alterum ſit medicorum crus & fundamentum, cui innituntur; Ratio tamen, vt idem Gal. inquit cap. 6. experientiam vel auget & exornat, vel imminuit & corrumpit, vt non ſine cauſſa ratio dextrum & principaliſsimum: experiẽtia vero ſiniſtrum & minus principale Medicorũ crus appelletur. Ratione igitur duce

& viam

& viam quaſi ſternente quæſtiones aliquot in medicina partim vtiles, partim iucūdas, cōtrouerſas tamen omnes & difficiles, quotieſcunq; otium mihi fuit, ſed ſcholaſtico more tractaui & rationis lancea breuiter diſcuſsi, non quidem ea intentione, vt ipſis quæſtionibus vel aliorum iudiciis, in hoc potiſsimum literato ſeculo, ſatisfactum eſſe, mihi perſuaderem: ſed potius vt feliciora ingenia exſuſcitarem quæ adderet quæ deſunt, & plures alias in gratiā diſcentium enodarent. Tuæ autem Str. has meas primitias, licet tanto tamq; in omnium bonarū diſciplinarū ſtudiis verſatiſsimo nobili indignas, mul-

tis tamen de cauſsis dedicare & inſcribere auſus fui. Primū, quia comperi te non ſolum conuerſationib. medicorum multum delectari, ſed etiam in Galliæ, Italiæ & Germaniæ academiis libenter adeſſe conſueuiſſe, quando vel in publicis anatomiis vel circa ægrotantium lectulos, difficiles Medicorum controuerſiæ diſcuſſæ & compoſitæ fuerunt. Deinde quia recordor te in itinere Italico multarum quæſtionum occaſionem mihi dediſſe, quibus, quod ex tempore, vt ſuſpcior, minus ſatisfeci, meliori ſaltem & accuratiori examini eas ſubiicere & reliquis addere volui. Deinde vt pro ſummo illo erga m

fauore, quem, cum alioquin honores mutēt mores, neq; bellicis officiis, quibus aliquoties ſumma cū laude præfectus fuiſti, neq; etiā ſumma dignitate, quam in aula Sereniſsimi Electoris Palatini, virtutibus tuis dignā conſecutus es quidquam erga me immutatū ſentio, gratitudinem non quam debeo, ſed quam pro hoc tempore poſſum, publice declararem. Accipe ergo, Strenue Nobilis, tenue hoc opuſculū animo beneuolo, meq; priſtino fauore & beneuolentia proſequi perge.

T. Str.

Obſeruantiſſimus

Ioannes Matthæus, Heſſus, Medicus March: Badenſis.

ELENCHVS OMNIVM QVÆSTIONVM.

I.

Medica ars an ſit incerta, Concl. Neg. 1.

II.

An ars Medica ſit facilis. C. N. 3.

III.

An Medicus præter artis ſcientiam peculiari fortuna indigeat. C.A. 7.

IV.

Vita hominis an ſine reſpiratione conſiſtere poſſit. C.A. 17.

V.

Homo an ſine cibo & potu vltra 7. dies viuere poſſit. C.A. 25.

VI.

Homo an ſicut beſtiæ pingueſcere poſſit, ſi ſufficienti cibo alatur. C.N. 27.

VII.

Medicamentorum alia cephalica, alia hepathica, &c. an recte dicantur. C.A. 30.

VIII.

Medicamēta electiue purgantia an in ventriculo digerantur & concoquantur. C.N. 36.

IX. Medi-

IX.

Medicamenta diuerſarum operationum an inuicem permiſcenda, vel cum alimentis ſint aſſumenda. C.N. 42.

X.

Renes calidi an per medicamenta extrinſecus applicata contemperari poſſint. C.A. 49.

XI.

An rationalis ſit curatio, quando canis rabioſus, & qui ab eo læduntur, in aquam præcipitantur. C.N. 53.

XII.

Pica an ſolius ventriculi & vteri vitio fiat. C.N. 59.

XIII.

Mel & saccharum an gignendis vermibus ſint idonea. 61.

XIV.

An omnia amara ſint calida, vt docet Galenus. C.A. 64.

XV.

Excrementa infantium an aluo reddita a bile flaua lingantur. C.A. 67.

XVI.

Teſticuli an ad formationem vocis requirantur. C.A. [illegible]

XVII.

Hepar an ſupra ſeptum tranſuerſum poſitum ſit, vt Ariſtoteles voluiſſe videtur. C.N. 71.

XVIII.

An cor in ſiniſtro thoracis latere collocatum ſit, vt vulgo creditur. C.N. 73.

XIX.

An purulenta materia in empyemate per ſiniſtrum cordis ſinum ad vaſa vrinaria deferatur. C.N. 80.

XX.

An tempus vernale ſit ſaluberrimum. C.N. 84.

XXI.

An corpora paſta ciboque refecta grauiora ſint ieiunantibus & inanitis. C.N. 8

XXII.

An animi mores per externam diſciplinam corrigi poſſint. C.N. 91.

XXIII.

An venenum artificioſe præparari poſſit quod ore aſſumtũ interdum quieſcat ſecundum Lunæ vero mutationem in corpus ſæuire poſſit. C.N. 93.

XXIV.

An podagra medicamentis externis ſine periculo tractari poſſit. C.N. 101.

XXV.

Allium an flatus gignat. C.N. 103.

XXVI. A

XXVI.

An glacies fiat a frigore. C.A. 105.

XXVII.

An caro porcina facile concoquatur. C.N. 107.

XXVIII.

An corporis exercitatio inſtituēda, quando cibi aſſumendi tempus inſtat. C.A. 108.

XXIX.

An hominibus, vt ceteris animantib. certum ſit pariendi tempus. C.N. 110.

XXX.

An acetum calefaciat. C.N. 119.

XXXI.

An mores nutricum cum lacte a puerulis imbibantur. C.N. 124.

ELENCHVS ALTER RELAtionum hiſtoricarum inauditarum.

I.

De clauicula in calculo veſicæ reperta. 128.

II.

De tribus calculi fragmentis per aluum excretis. 129.

III.

De lumbrico cum vrina excreto. 130.

IV.

De menſtruo per aluum periodice excreto, aliiſque inuſitatis euacuationib. 131.

V.

De conuulſione diuturna cum amiſſione loquelæ ad ambuſtionem pectoris facta. 133.

VI.

De ancilla repente obmuteſcente. 135.

VII.

De iuuene poſt exiguum vulnus exſpirante. 136.

VIII.

De pica cuiuſdam virginis. 137.

IX.

De grauiſſima & diuturna arthritide poſt dyſenteriam & ophthalmiam. 138.

X.

De imperita emplaſtrorum applicatione. 141.

Hæc

Hæc omnia ſequitur

DISCVRSVS MEDICINALIS de Febre peſtilentiali, quæ nuper vniuerſam Germaniam peruagata eſt:

Et quidem proponuntur in eo.

Primum. Definitio. 7. pag.

II. Cauſſa. 8.

III. Præſeruatio. 18.

IV. Aer. 19.

V. Cibus & potus. 22.

VI. Motus & quies. 28.

VII. Somnus & vigilia. 31.

VIII. Repletio & inanitio. 32.

IX. Animi affectus. 37.

X. Præſeruatio in vſu medicamentorum conſiſtens.

XI. Signa. 42.

XII. Curatio. 45.

TANDEM CONCLVDIT LIBRVM

Appendix

CONTINENS REFVTATIOnem quinq; argumentorum, Gramanni de theriaca, mithridatio, ouo aureo & ſimilibus. 65.

ENODATIO QVÆSTIONVM MEDICARVM.

QVÆSTIO PRIMA.

An Medica ars ſit incerta? conclusio Negatiua.

INCERTAM & dubiam eſſe medicinam, ac proinde, rem periculo plenã, Medicinæ ſeſe committere, multi, nec infimæ ſortis homines clamitant, eamq; ſententiam ex eo probare conantur, quod Medicina nudis innitatur coniecturis, quæ cum plerunque fallant, nullam in Medicina certitudinẽ exſpectandã eſſe cenſent. At vero, quam ieiuna & infirma ſit hæc aſſertio, euidenter apparet, eo quod arti imputatur, quod artifici potius imputandum erat. Medicina ſiquidem firmiſſimis & indubitatis conſtat præceptioni-

bus, principiis ſuis conſentientibus, vt Galenus docet de opt. ſect. cap 1. Medicus vero, etſi in actionibus ſuis, quãdoque coniecturis vtitur, nec propoſitum finem pari felicitate ſemper aſſequitur, eo quod vel ſtatus ægrotantium eſt deſperatus, vel rerum neceſſariarum inopia, aliaue accidentia Medicum impediunt: ipſi tamen arti inde nihil detrahitur, quippe quæ in ſe conſiderata, certis & immotis fundamentis nititur. Deinde ambiguitas eſt in vocabulo cõiectura. Hæc enim ſi nuda eſt & ſimplex, nihil indicat: ſin vero demonſtrationem adiunctam habeat, iam non coniectura, ſed ſignum demonſtratiuum appellari meretur. Diſtinguendum igitur inter nudam coniecturam & ſignum quod a Medicis pariter & Oratoribus τεκμήριον appellatur, id quod Veteres ſignum ſyllogiſticum, recentiores vero indicationem nominare conſueuerunt, eo quod indicat, quid faciendum, quid omittendum. Nudæ coniecturæ nullam inferunt neceſſitatem, ſed probabilitatem: nec perpe-

perpetuo, ſed vt plurimum rem eandem indicant, ac proinde potius ad Empiricos quam rationales Medicos pertinent. Τεκμήεια vero ſeu indicationes vnam eandemque rem ex ſua natura perpetuo neceſſarioque citra aliquam ambiguitatē demonſtrant, nec fortuitis obſeruationibus, ſed firma ratione logica conſtant, quæ conſequens ex veris cauſſis & effectibus recte cognitis, colligunt. Simili modo in publicis iudiciis præſumtiones, quas vocāt, a documentis differre videntur. Illæ ſiquidem fallere poſſunt; hæc vero iudicē ad cognitionem facti ſine errore deducūt. Quapropter, cum tanta ſit horum ſignorum vis & neceſſitas, perperam agunt, qui Medicinam incertitudinis arguunt.

QVÆSTIO II.

An ars Medica ſit facilis.
Concluſio Negatiua.

THeſſalus, vt videre eſt apud Gal. libr. 1. Meth. cap. 1. tantam artis Medicæ facilitatem ſomniauit, quæ trium menſium ſpatio addiſci poſſit.

Hanc aſſertionem vt ignorantibus perſuaderet, omnes morbos, & per conſequens, omnia remedia ad duos redegit ordines, vt morborum alii laxi ſint, alij adſtricti, & proinde remedia vel relaxandi, vel adſtringendi facultatem habeant. Quam vero monſtroſa & abſurda hæc ſit ſentētia, maxima rerum naturalium & non naturalium teſtatur amplitudo, in qua, velut in vaſto aliquo mari, Medicū verſari oportet. Etſi autem naturalia facilioris ſunt cognitionis, q̀ vno ſemper & eodem modo ſe habeant, contra vero non naturalia varia ſint, diſſimilia & multiplici errore inuoluta: non tamē omnia, quæ naturalia ſunt, ad laxandi vel adſtringendi ordinem, reduci poſſunt. Sunt enim multa, vt de primis rerum naturalium qualitatibus loquar, quæ citra relaxationem aut adſtrictionem calefaciunt vel refrigerant, humectant vel ſiccant. Similiter in ſecundarum qualitatū ordine occurrunt attenuantia, aperientia, exaſperantia, linientia, incraſſantia, diſſoluentia, & ſimilia, q̄ ad laxan-

tium

tium & adſtringẽtium ordinem nullo modo reduci poſſunt. Omniũ vero minime tertię rerum naturaliũ qualitates ad duplicem illum a Theſſalo propoſitum ordinem, referri queunt. Quod ſi conſideremus, quæ naturalia non ſunt, lõge maximam varietatem & diſſimilitudinẽ inueniemus. Vt vero de multis aliquid ſaltem attingam, morbi totius ſubſtantiæ, nec non, qui in intemperie poſiti ſunt, ad prædictam duplicem morborũ claſſem referri nequeunt. Quapropter ſummus Medicinæ parens Hippocrates artis Medicæ difficultatem ingentemque vaſtitatẽ cernens, primo ſtatim aphoriſmo exclamat, artem eſſe longam, vitam breuem, iudiciũ difficile: Quaſi dicat: viuerſam hominis vitam non ſufficere ad perfectam artis Medicæ perceptionem. Tam late ſiquidem Medicina patet, vt, ſi cum vitę humanæ curſu comparetur, vita breuior ſit, nec ad artis Medicæ amplitudinem intelligendam ſufficiens. Præterea ipſe Gal. in libr. de pulſ. fatetur, ſe in doctrina pulſuum multis annis dili-

gentiſſimum fuiſſe, magnaque alacritate veterum libros de pulſuum doctrina editos euoluiſſe, ad perfectam vero cognitionem non perueniſſe. Si hoc Gal. accidit, quid nobis accidere poſſe putabimus? Si tantum temporis & laboris in vna Medicinæ parte inſumſit, quantum ad vniuerſam artem perdiſcendam nobis inſumendũ erit? Nec vero illud ſilentio inuoluẽdum, quod Auerrhoes, libr. 6. colligit, aſſerere non dubitat, ſe vnicũ perfectum Medicnm nouiſſe, Auenzoarem nimirum qui patrẽ habuerit Medicum, ſub cui⁹ diſciplina 40. an. ipſe artẽ exercuerit. Deniq; Galb. li. 1. loc. affect. c. 1. præter artis peritiã, magnã etiam prudentiã & experientiã rectę rationi coniunctã, in Medico deſiderat, quã exiguo tẽporis ſpatio nemo acquirere poterit. Grauiſſime igitur errant, qui tantam artis Medicæ facilitatem ſomniant, vt ſi vnum atque alterum medicamentum chymico more præparare norunt, ſine omni fundamẽto, haud aliter ad faciendã medicinam mactanteſq; homines ꝓſiliunt, q̃ lanij ad mactãda pecora, ꝑtio cõducuntur.

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

An Medicus, præter artis ſcientiam, peculiari fortuna indigeat.

Concluſio Affirmatiua.

M. T. Cicer. Orat. 3. Philip. inquit, magnã vim magnumq; numen eſſe, quando multi vnum & idem ſentiunt: innuens proculdubiò, veritatis euidentiam in multitudine vnum & idem ſentientium potiſſimum conſiſtere. Cũ igitur pleriq; omnes exiſtiment, præter artis Medicæ peritiam, etiam peculiarem aliquam fortunam Medico Practico neceſſariam eſſe, & quotidiana obſeruatio idẽ atteſtetur, non incõueniens eſſe puto, paulo accuratiꝰ inquirere, an res ita ſe habeat, quænam illa ipſa fortuna ſit, & qua in re conſiſtat. Communis Medicinam exercentium obſeruatio teſtatur, fortunam hic multum poſſe. Multos enim videas, ſumma doctrina & ampliſſima eorũ, quæ ad artẽ pertinent, cognitione inſtructos, cum ad artem ſe conuertunt, ridicule falli & aberrare. Alios rurſum experimur, qui cum

excellentibus naturæ dotib. & naturali ad artem aptitudine, doctrinam vſumq; artis coniunxerunt, omnes alios longiſſime ſuperare. Coclitem Chiromantem celeberrimum rogatum, vt artem, qua linearũ notas, collocationes & commixtiones, & ceteros figurarũ characteres expẽdebat, & ad vſum accommodabat, literis deſcriptam poſteritati relinqueret, reſpondiſſe ferunt: ſe optare, vt aliquis integram artem Chiromanticen perſpicuis regulis complectatur, velle ſe, quantum conſecutus eſſet, optima fide literis committere; attamẽ futuro chiromanti præter artis pręcepta, peculiari fortuna opus eſſe, quam qui ad artem non afferat, eum fruſtra in ſola doctrina omnem operam collocare. Sed ad artem Medicam reuertamur, de qua Cornel. Celſus lib. 3. c. 1 diſertis verbis ſcripſit, fortunam in ipſis morbis non minus ipſa arte valere. Huc reſpexit Poeta.

Tu nihil inuita dices facieſue Minerua.

Denique Sacra Scriptura hanc ipſam inclinationem ſeu fortunã, gratiam

tiam vocat, quæ nõ omnibus, ſed quibuſdam diuinitus detur. Vnicuique, inquit Paulus, datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Alij datur ſermo ſapientiæ, alteri ſcientia, alteri fides, aliis gratia ſanandi, aliis interpretatio linguarũ, &c. 1. Corinth. 12. Minime igitur dubitandum, quin, vt in aliis rebus omnibus, ſic in Medicina maxime, felicitas quædam ſeu fortuna requiratur. At vero non minore inueſtigatione opus eſt, qua in re, fortuna iſta conſiſtat. Virgilius quidem fortunam in auſu quodã temerario reponere videtur, quando inquit:

Audaces fortuna iuuat, timidoſq; repellit.

Sed temerariam hanc fortunam Medico nihil prodeſſe, ſed obeſſe potius, ſatis intellexit Hippoc. 6. Epid. ſect. 2. text. 18. In operationibus, inquiens, nihil temere. Sed videtur adhuc alia ſupereſſe fortuna, quæ a cæco quodam numine vel influxu prouenire putatur, de qua Ouid.

Paſſibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa tenaxque loco.

Verum nec iſta momentanea & æ-

ſtuaria fortuna quidquã Medico confert, quod præter Gal. li. 11. de vſu partium, c. 7. ratio & experientia confirmant. Ceterum Auic. 6. natural. ſcriptum reliquit, illum & plures & feliciter curare, cui plures fidunt: quaſi omnis, quam quærimus, fortuna in ea, quam ægri in Medico collocant, fiducia conſiſtat. Veriſſimum autem eſſe, quod Auic. ſcripſit, præter quotidianam obſeruationem euidens etiam ratio conuincit. Fiducia ſiquidem magnam reſtitutionis ſpem in animis ægrorum excitat: ſpes lætitiam parit: lætitia omnium medicamentorum operationes feliciſſime promouet. Contra vero, ſi æger a Medico abhorret, non niſi infauſta medicamentorũ operatio exſpectanda. Quapropter quicunq; iuxta artis peritiam ægrorum fiduciam ſibi conciliare poteſt, ei de felici curatione minime dubitandum eſſe arbitror. At vero fiduciam Medicus conſequitur partim ex ſua natura, partim aliorum hominum adminiculo. Ex ſua natura Medicus conſequitur fiduciam ægrorũ, quando non

do non minus prudentiæ, quam arti, ſtudet. Qui enim ſolius artis præcepta rigide ſine vllo reſpectu obſeruat, timidos, reluctantes & auerſantes ægros reddit. Et ſic omnia infelicem ſortiuntur exitum. Timidos autem infeliciter curari, præter infinita alia vel vnicum ſecandæ venæ exemplum docet. Quoties enim æger vel chirurgum vel ipſam ſectionem extimeſcit, ſanguis quaſi ad interiora recurrit, minuſque feliciter extrahitur. Econtra quicunque læti cum fiducia bonæ operationis ſectionem admittunt, ſanguinem feliciter fundunt. Sic reluctantes aſſumta pharmaca vel vomitione reiiciunt, vel in corpore detenta nihil vtplurimum operari ſentiunt.

Quicunque igitur prudenter circa ægros verſatur, &, quantum omnino fieri poteſt, non ſolum in victu, ſed pharmacis etiam ægris gratificatur, iſtum omnes mire amant, diligenter audiunt, ei obtemperant, in omnibus operationib. fidũt, ac proinde euẽtus feliciores conſequuntur. Vberrimum

hunc prudentiæ fructũ intellexit Cicer. 5. de finib. In omnibus artibus, inquit, communis requiritur prudentia, ſine qua nihil memorabile vel laude dignum effici poteſt. Hoc Ciceronis dictum vt in omnibus artibus locum habet, ſic maxime in Medicina, quæ factiua eſt. Præcipuam enim illius partẽ omnes eſſe iudicant, conſiderare, non ſolum quid per ſe optimum ſit, ſed etiã, quid pro temporum aliarumque circumſtantiarũ ratione obtineri poſſit. Atqui ſolius prudentis eſt, conſilia & actiones pro re nata immutare. Conſequens ergo eſt, prudentiam, ad comparandam ægrorum fiduciam ac proinde ad felicitatem in operibus impetrandam, vtilem eſſe & neceſſariam. Magnam quoque huius prudentiæ vim Hippocrates paſſim agnouit, adeo vt non raro prudentia vſus ſit, ipſa arte quaſi neglecta, quando nimirum inſuauem & inſalubrem victum ſuauiori & ſalubriori prætulit, Aphoriſ. 38. ſect. 2. Simili prudentia non infeliciter aliqui vtuntur, qui vel prægnantibus res inedules permittunt,

tunt, ne abortum faciant, vel febricitantibus in victu minus idoneo, vehementer tamen petito gratificantur, vt nimirũ ventriculus ad vomendum incitetur, qui vomitus ad tollendam febrem quandoque ſufficit. Cornel. Celſus lib. 1. cap. 1. prudenter potius, quam artificioſe conſulit, homini ſano nullam in cibo & potu legem ſeruandam eſſe, ne ſi negotiis vel itineribus impeditus eandem victus rationem continuare non poſſit, in grauem morbum incidat. Conſuetudo enim, vt Hippoc. ait, altera natura eſt, quæ ſi derepente immutetur, non poteſt non periculoſa eſſe. Quin imo Hipp. lib. 1. progn. prolixe docet, qua prudentia Medicus circa morbos vti debeat, ne in aliquam incurrat infamiam vel odium ægrorum adeo, vt in lib. de Medic. veſtitum etiam cultumque corporis ad gratiam ægrorum accommodare iubeat. Gal. etiam comment. 4. in 6. Epidem. text. 9. cauendum eſſe præcipit, ne ægros ſermonibus noſtris offendamus: id quod minus prudẽter obſeruauit, qui cuidam

ſub magno dolore exclamanti: Morior: reſpŏdiſſe fertur: Moriaris, cum etium Patroclus te longe præſtantior mortuus ſit. Simile imprudentis Medici exemplum fugiendum proponit idem Gal. loc. cit. de Quinto Medico Romano, qui cum potentem ægrum inuiſeret viniq; odorem ſpiraret, ab ægro, vt pauliſper recederet, admonitus fuit: Quintus vero ſat imprudenter reſpondit: vini odorē feras oportet, cum ego longe deteriorem tua cauſſa perferam. Hic Medicus etſi omnes alios Romæ tum temporis Medicinam exercentes ipſa artis peritia antecellebat, ſua tamen rigiditate effecit, vt vrbe pelleretur. Verum enimuero, cum Socrates omnes alias virtutes prudentiæ includat, laborandum erit Medico, vt omnibus virtutibus præditus ſit & exornatus, cumprimis vero pietate, humanitate, taciturnitate & temperātia. Pietas quidem ad omnia vtilis eſt, inquit ſacra Scriptura, & plus ſæpiſſime efficit, quam admiranda multorum ſcientia. Nec moueri me patior, quod maior ho-

ior hominum numerus, hac præſertim ætate, impiis potius & ſuperſtitioſis pharmacis, quam veris & a Deo nobis conceſſis mediis delectatur, vtpote ſanguine, vel cranio humano, characteribus, Euangelio Sancti Ioannis, medicinis vel mendicando cõparatis, vel ſa tergo, vel impari numero collectis, auro vel argento erutis, dextra vel ſiniſtra manu decerptis, caſu denique fortuito, vel ſub pedis ſiniſtri planta, milleque modis aliis ſuperſtitioſe inuentis. Etſi igitur nonnulli hiſce diabolicis artibus magnũ ſibi nomen pariunt, veri tamen Medici nomen minime merentur. Pietati affinis eſt humanitas, quæ Medicũ ſummopere commendat. Hanc ex veteribus Medicis Scribonius Largus neceſſario in Medico requirit. Danda vero omnis opera, dũ humani & moderati haberi volumus, vt vbiq; decorum obſeruemus, ne in turpiſſimã incidamus adulationẽ: quod monet Gal. in com. 4. in 6. Epid. Quanta etiam prudentia ſit linguam continere, optime nouit Hipp. qui ſub iuramento tacen-

da præcepit, quæcunque arcana circa ægros audiuntur & videntur: hanc ipſam taciturnitatē præter Gal. com. 5. in 6. Epidem. text. 1. nobis etiam commendat Horatius:

——Commiſſa tacerē
Qui neq̃t, hic niger eſt, hũc tu Romane caueto.

Nec vero ſola taciturnitas Medicum commendat, ſed etiam ſermo moderatus. Loquacitas enim in odium & cōtemtum Medicum addūcit, cũ multi ęgri mori malint, quam nugaciſſimum hominum genus tolerare. De garrulitate iſta loquitur Hippoc. in lib. de orn. med. Medicus (inquit) multum ne fabuletur. Medicina enim, vt Gal. de præcogn. ſcripſit, non verbis & garrulitate, ſed operib. exercenda. Celſus quoque non verbis, ſed herbis morbos ſuperari aſſerit. Denique in vulgare abiit Prouerbium: Loquacē Medicum ægrotanti alterum eſſe morbum. Prudentia denique ſine temperantia conſiſtere nequit. Quæ enim prudētia eſſet iſta, ſi Medicus ægris ſuis temperantiam præciperet, ipſe interim heluaretur,

dies

dies noctesque diſſolute viueret? Etſi autem artis peritia & prudentia in omnibus operationibus adhibita pro conſequenda felicitate Medico ſufficere videri poterat: facit tamen quorundam iniquitas, cui etiam prudentiſſimi quique ſubiiciuntur, vt fauor popularis, hoc potiſſimũ ſeculo, quo nihil ab iniquis cenſuris, cauillationibus, detrectationib. maledictis, aliiſq; nocendi generibus tutum eſſe poteſt, tanquam externum conſequendæ felicitatis adminiculũ requiratur. Quapropter primarium & principale cõſequendæ felicitatis inſtrumẽtum, eſt ipſius artis peritia cum prudẽtia coniuncta, cui ſi accedat fauor popularis, quem ſtatuo eſſe inſtrumentũ ſecundarium, mihi dubium non eſt, quin Medicus ita inſtructus, & plures & felicius ſit curaturus.

QVÆSTIO IIII.

An vita hominis ſine reſpiratione conſiſtere poſſit. C. A.

STupenda videtur eſſe hiſtoria, quę Colonię in veſtibulo templi, tabel-

læ inſcripta legitur: quoſdam, ſcilicet nefarios & ſceleratos homines, defunctam & ſepultam nō infimæ ſortis fœminam, media nocte, vt aureis annulis & armillis illam ſpoliarent, effodiſſe, cumq; manus illi iniicerent, fœminam reuixiſſe. Quo viſo, deterriti ſepulcri violatores aufugiſſe, fœminā vero ædes ſuas repetiiſſe. Cum vero nulli ſit dubium, dictam fœminā potius ſine reſpiratione ingēti animi deliquio detentā, quam vere exſtinctam fuiſſe, ſpeculandi datur occaſio, An ſublata omni reſpiratione, vita ſupereſſe poſſit. Ex vna parte eſt Galeni ſententia lib. 6. loc. affect. c. 5. vbi inquit reſpirantem non viuere, & viuentem non reſpirare, impoſſibile. Item, lib. 5 loc. affect. cap. 1. ſublata reſpiratione tollitur vita. Etſi autem mente captus videbitur, quicunq; hanc Gal. ſententiam impugnauerit: attamen, ſi reſpirationis cauſſam & neceſſitatem diligenter conſiderauerimus, deprehendemus, reſpirationē, actionem a vita ſeparabilē eſſe. De cauſſa vero reſpirationis nō eſt vna eademq; omnium

Philo-

Philoſophorũ ſentẽtia. Ex antiquiorib n. nonnulli reſpirationem ad explendas arterias, alii ad ſpiritus vitalis generationem neceſſariã eſſe ſtatuerunt. Verum vtraq; ſentẽtia omni caret ratione, eo q̃ arteriæ ſolo ſpiritu vitali minimeq; aere extrinſecus attracto explentur. Cui rationi & hæc annumerãda, quod arteriæ ſemel ſpiritu expletæ, tanta celeritate & frequentia non inaniuntur, quanta aer per reſpirationem attrahitur. Quod ad alteram ſentẽtiam attinet, etſi aer extrinſecus attractus ſucceſſiuis alterationibus & præparationibus in arteriis ipſiſq; pulmonibus factis, ad vitalis ſpiritus generationem conferat: crebrior tamen eſt reſpiratio, quam defectus materiæ ad reſtaurationem ſpiritus vitalis neceſſariæ exigit. Gal. vero tum alibi paſſim, tum maxime in lib. de vtilitate reſpirat. c. 3. & 4. variis iiſq; firmiſſimis adductis rationib. nec non argumentis ab experientia & cõmuni ſenſu deſumtis, docet, cordis calorem cauſſam eſſe reſpirationis. Cum enim cor, teſte Ariſt. de ſenſil. 2.

adeo ſit calidum, vt digitus in ſiniſtrum cordis ſinum animalis recenter mactati inſertus feruorē vix ferat, neceſſario pro ſui conſeruatione, externo refrigerio aeris ſcilicet frigidi crebra inſpiratione indiget. At, inquis, in balneis aliiſq; locis æſtuoſis, vbi non niſi calidū inſpiramus aerem æque viuimus, ac ſi frigidum aerem duceremus. Ad hanc obiectionem reſpondeo: Licet viuamus in balneis minime tamen pari tolerantia & facilitate nos viuere. Quin imo ipſa teſtatur experiētia multos in balneis propter priuationem frigidi aeris animo deficere & ſuffocari. Quapropter co omnium viſcerum calidiſſimum, no tam ſubſtantiam externi aeris quar ipſam aeris qualitatem frigidam pr ſui conſeruatione requirit. Conceſſ igitur, reſpirationem ad ventilandu & refrigerandum cordis calorem ne ceſſariam eſſe, conſequitur, quotie cunque cor nimis eſt refrigeratun vel calor cordis ex cauſſis morbo oppreſſus, nullam reſpirationem ne ceſſariam eſſe. Sublata enim cauſſ

tollitu

tollitur effectus. Hinc videmus limaces, muſcas, lacertas, aliaque plura animalcula hyberno tempore veluti demortua ſine vlla reſpiratione latitare, eo q̧ calor cordis oppreſſus ſit, & veluti exſtinctus, vlteriori refrigerio non indigens. Idem non raro mulieribus vteri ſuffocationem patientibus vſu venit, quando cordis calor a maligna vteri exhalatione ita opprimitur, vt nec reſpirent, nec reſpiratione opus habeant. Hinc rudis & ignara plebecula hyſtericas mulieres bis vel ter mori poſſe, ſibi perſuaſum habet, adeoque non dubitandum, quin Colonienſi mulieri ex vteri vitio, omnis reſpiratio ſuppreſſa fuerit. Simile ferme exemplum, maiore tamen commiſeratione dignum, accidit Madricii in Hiſpania, vbi ſi hiſtoriis fides eſt adhibenda, nobilis quædam matrona ex familia Don Franciſci Laſſo oriunda, poſtquam per triduum in agone decubuiſſet, putantibus cognatis eam mortuam eſſe, deportata fuit ad locum ſubterraneum ſepulturæ deſtinatum. Poſt aliquot autem menſes.

oſtio ſepulcri iterum recluſo repertũ fuit cadauer priore in loco adhuc repoſitũ, in dextro brachio infantem mortuum tenens. Vnde apparet, dictam matronã, cum ſepulta fuit, vere non obiiſſe, ſed infelicẽ infantem adhuc peperiſſe. Simile quid Weiſſenburgi accidit. Vxor enim Simonis Kreuteri in nonum menſem grauida, ſuperuenientibus pariendi doloribus exſpirauit: cumq; adſtantes putarent, fœtum quoque exſpiraſſe in vtero, mortuã, illorum quidem iudicio, matrem, more ſolito in terrã poſuerunt, linteiſq; contectam reliquerunt. At vero poſt aliquot horas vagitum audiunt, accurrentes matrem quidem mortuam, filiolã vero optime valentem ad pedes matris deuolutam reperiunt. Credibile certe eſt, matrem tum demum vere exſpiraſſe, quando partus in lucẽ prodit. Alioqui a mortua matre excludi haud potuiſſet. Filia illa Eliſabeth dicta adhuc in viuis eſt, Weſſingæ degens in Marchionatu Badenſi. Licet autem nonnulli exiſtiment, leuem & inſenſibilem quaſi

reſpira-

reſpirationem in prædictis caſibus reſtare, ex ſequentibus tamen rationibus conuincitur, omnem omnino reſpirationẽ, vita remanẽte, poſſe tolli. Prima ratio: Si prædictæ fœminæ externum aerem inſenſibiliter attraxiſſent proculdubio ab aere in ſepulcro vndique incluſo ſtatim exſtinctę fuiſſent. Addo alia ad probandũ inſtitutum duo clariſſima exempla. quorum alterũ ante annos 16. Baſileæ, alterum Baccharaci ante bienniũ accidit. Vtrobiq; fœminę ob malefacta in Rhenum fuerunt coniectæ, cumq; ſub flumine ad terminum ſuffocandis præfixum perueniſſent, viuæ fuerũt extractæ. Huius cõſeruationis cauſſa nulla alia eſſe poteſt, quã quod calor ex nimia cõſternatione extremiſq; ſuperuenientib. animi deliquiis ſuppreſſus, nulla, neq; per os, neque per nares, reſpiratione opus habuit. Alioqui ratione maximæ illius diſtantiæ a loco nimirum, vbi iniectę fuerunt, ad locum vſq;, vbi extractæ, nullo modo ſeruari potuiſſent. Quin imo q̄ Baccharaci obſeruatũ fuit, nec venter tumentior,

quam antea, conſpectus fuit: quod indubitatam fidem facit fœminam non reſpiraſſe. Huc refero ſegetes niue vndique contectas, quæ ſi hyberno tempore reſpiratione indigerēt, non minus ſuffocarentur, quam ſi æſtatis tempore contectæ pereunt. Ceterum Galenum quod attinet, notandum, ipſum in locis ſupra citatis includere tranſpirationem, quæ fit per vniuerſę cutis poros: quaſi dicat Galenus: Impoſſibile eſſe vitam ſubſiſtere poſſe, ſublata omni reſpiratione & tranſſpiratione. Quemadmodū enim reſpiratio, magno cordis calore exſiſtente a vita ſeparari nequit: Sic tranſſpiratio, calore imminuto & oppreſſo ad ſuſtentationem vitæ ſufficit. Tantum ſiquidem aeris per poros cutis ingreditur, quantum afflicti caloris conditio requirit. Porro aerem per tranſſpirationem corporibus communicari, nec parū vitæ conſeruandæ conferre, vel inde apparet, quod pori cutanei a ſummo rerum opifice fruſtra facti non ſunt. Quinimo ſub humido cœli ſtatu experimur vniuerſum corporis

poris habitũ madore ſuffundi. Cum ergo humiditas per poros cutis ingrediatur, multo magis aer, qui tenuior eſt, ingredi poterit. Denique experimur corpora craſſa & pinguia apoplexiæ aliiſque ſuffocationibus maxime obnoxia eſſe, eo quod pori cutanei multa pinguedine obſtructi liberam tranſſpirationem impediunt: vnde calor ſuffocatur & exſtinguitur. Quapropter, cum tantam vim vnica tranſſpiratio corpori ſuppeditet, minime dubitandũ, quin oppreſſo cordis calore, vita hominis ſola tranſſpiratione conſiſtere, & ad tempus conſeruari poſſit.

QVÆSTIO V.

An homo ſine cibo & potu vltra ſeptem dies viuere poßit. C. A.

HIppocrates in libr. de Carnibus memoriæ prodidit, hominis vitam ſine cibo & potu ſeptem dierum eſſe, quaſi dixerit, hominem vltra ſeptimum diem inediam ferre, & ab omni potu & cibo ſine vitæ diſcrimine abſtinere non poſſe. At vero Sauona-

rola Tract.6. cap.13. mentionem facit cuiuſdã Almerici, qui quatuor menſibus integris neq; bibit, neq; comedit. Tragus etiam in cap. de pane meminit cuiuſdã Margaretæ Rhodiæ, quæ ab omni potu & cibo, vltra ſedecim menſes vitã produxit. Accedit Simon Portius Medicus, qui libellum edidit de quadam virgine Germaniæ, quæ duobus annis ſine cibo & potu vixit. Præterea in territorio Tullenſi puella 12. annorum, primum a pane, deinde ab omnib. aliis cibis & potu abſtinuit, & per triennium ieiunauit: Exſtat hęc hiſtoria in libello rerũ a Carolo Magno geſtarum; Coloniæ apud Birckmannum impreſſo. Deniq; notabile exemplũ noſtra ætate accidit in oppido Schmidtweiler/ Electoralis Palatinatus, ditionis Lautreæ, vbi virgo quædam nubilis a nuptiis domum rediens, primum calidos cibos, deinde omnes alios faſtidire cœpit, & in ſeptimum annum neq; comedit, neque bibit quidquam, corpus vero vſq; adeo fuit extenuatum, vt ſceletũ potius quam humanum & carnoſum corpus videre-

videretur. Cum hæc res magiſtratui eſſet ſuſpecta, & clanculũ aliquid deuorare putaretur, cuſtodes fuerũt adhibiti, a quibus dies atq; noctes obſeruaretur, nec tamẽ dolus aliquis animaduerſus fuit. Memorabilem hunc caſum non miraculoſe, ſed ex cauſſis naturalibus contigiſſe, in publica Doctorũ promotione eruditiſſime a D. Theophilo Madero demonſtratum fuit. Quapropter pro Hippocrate vnicum hoc reſpõdiſſe ſufficiat, homines integre ſanos vltra ſeptem dies ieiunare nõ poſſe, exempla vero in medium adducta, in corporibus morboſis plurimum afflicto calore natiuo, & ventriculo crudis & viſcoſis humoribus plane occupato, vbi nullus ſuctionis vel appetentiæ ſenſus ſe exerere potuit, accediſſe palam eſt.

QVÆSTIO VI.

An homo ſicut beſtiæ pingueſcere poſſit, ſi ſufficienti cibo alatur?

C. N.

IN animantium genere ita comparatum eſſe videmus, vt omnia ſagi-

nentur, & pingueſcant, ſi idoneo & ſufficienti pabulo nutriantur, homines vero, optimis etiam exhibitis alimentis, non ſimili modo omnes pingueſcunt. Etſi vero, quantum ad homines attinet, potiſſima pinguedinis cauſſa ipſi temperamento imputatur: (videm⁹ enim corpora phlegmatica omnium maxime pingueſcere, cholerica vero gracilia & macilenta permanere.) dubium tamen non eſt, animantia citra diuerſorum temperamentorum reſpectum, ſi modo integre ſana habentur, indifferenter pingueſcere. Quapropter huius diuerſitatis rationem explorātibus, tres potiſſimum cauſſæ ſuccurrunt, quæ obeſitati in hominū genere reſiſtunt. Prima cauſſa eſt ciborum maxima varietas & diſſimilitudo. Sunt enim homines voraciſſimi, & multiplici potius quam ſimplici victu delectantur. Cum igitur dulcia, auſtera, acerba, acida, omniumque ſaporum alimenta indifferenter ingerant, variiſque vini aliarumque potionum generibus vtantur, fit, vt commode nutriri nequeant.

queant. Contra vero animantia ſimplici alimento contenta maxime nutriuntur & pingueſcũt. Huc pertinet etiam, quod nonnulli ad paſtum, certum tempus non obſeruant: vnde inæquales fiunt concoctiones, quæ nutritionem maxime impediunt. At inquis: Cornel. Celſus lib. 1. cap. 1. nec certum paſcendi tempus obſeruandum, nec vllum cibi genus, quocunque populus vtitur, intermittendum vel fugiendum eſſe præcipit. Ad hanc obiectionem reſpondetur, non eſſe Celſi ſcopũ aut intentionem præſcribere modum optime nutriendi, vel pinguefaciendi corpora, ſed tantum, quomodo naturæ & conſuetudini ſit indulgendum. Altera cauſſa eſt immoderata Venus, vel ipſæ etiam venereæ cogitationes. Cũ enim animantia fere omnia ſoli⁹ naturæ ductu certum & definitum habeant coeundi tempus, ſolus vero homo certũ tempus non obſeruet, ſed pro libera voluntate frequentiori Venere vtatur, fit vt homines mirifice extenuẽtur & gracileſcant, contra vero animalia

pingueſcant. Huius rei manifeſtum habemus in caſtratis animalibus exemplum, quæ cum Veneri indulgere non poſſint, omniũ maxime pingueſcunt. Tertiam & potiſſimã cauſſam in curas animique ſolicitudines conferendam exiſtimo. Cum enim ſolus homo variis & diuerſis curis mirifice afficiatur, curæ vero, vt ſacra ſcriptura loquitur, ipſa etiam oſſa exſiccent, mirum non eſt omnia animantia, curis ſoluta pingueſcere, hominem vero contabeſcere.

QVÆSTIO VII.

An medicamentorum alia cephalica, alia hepatica, &c. recte dicantur? C. A.

ABſurdum & ridiculum quibuſdam videtur, quando medicamentorum alia capiti, alia pulmoni, hepati, ſpleni, vel renibus, aliiſque viſceribus peculiariter & determinate prodeſſe dicuntur. Cur enim, inquiunt, maiorana capiti, capparis ſpleni, hyſſopus pulmoni, eupatoriũ hepati, ariſtolochia vtero, petroſelinum vero

renibus

tenibus peculiariter conferret, cum omnia pariter calida ſint & ſicca, ac proindeeiuſdem naturæ & facultatis? An præſes aliquis eupatorio imperat, vt recta ad hepar pergat, maioranæ, vt ad caput tranſuolet, ariſtolochiæ autem, vt ad vterum proficiſcatur? Licet autem ſpecioſum ſit, quod infertur, ex antiquioribus etiam Medicis Theſſalum fautorem habet: Galenus tamen non ſolum lib. 5. de ſimpl. medic. facult. ca. 13. Theſſalum refutat, ſed etiam lib. 1. de compoſ. med. ca. 1. integri cuiuſdam commentarij mentionem facit, in quo veterũ Medicorum ſententiã de ꝓprietate medicamentorũ peculiari natura certas corporis partes reſpicientium multis rationib. munitã & comprobatam aſſerit: Qui cõmentarius tamẽ in magno illo incendio, Romæ ad viam ſacram excitato, vna cum templo Pacis conflagrauit. Inter alia vero argumenta, quibus contra Theſſalum alioſque ipſius diſcipulos vti poſſumus, illud non eſt poſtremum, quod nimirũ vſu & experiẽtia edocemur, eupatorium,

cichorium, & ſimilia hepati obſtru-
ĉto maiorem vtilitatem afferre quam
renibus aut veſicæ: contra vero ſaxi-
fragiam, apium & petroſelinum ma-
gis renes & veſicam, quam hepar, re-
ſpicere. Deinde conſtat, & luce meri-
diana clarius eſt, multa eſſe medica-
mēta, quæ certis & determinatis par-
tibus infinita proprietate vim infe-
runt & pernicioſa exſiſtunt: quemad-
modum cantharides ſolam veſicam,
lepus marinus ſolum pulmonem ex-
ulcerat, illæſis omnibus aliis viſceri-
bus. Ergo ex contrario ſenſu firmiſſi-
me infertur, eſſe etiam multa medi-
camenta, quæ certis & determinatis
partibus proſunt opemque ferunt:
Quod ſi in his caſibus ad manifeſtas
& euidentes rerum qualitates confu-
geremus, certe neceſſarium erat, can-
tharides & leporem marinum maio-
rem exulceratione in ventriculo mo-
liri, vtpote in quo maiorem moram
trahunt. Sunt enim medicamēta lon-
ge efficaciora in iis partibus, vbi diu-
tius morantur, niſi occulta medica-
menti vis impediat. Sic apiū renibus
prodeſt,

prodeſt, capiti vero noxium eſt: Polypodium ſpleni conducit, ventriculo aduerſatur: terebinthina renibus fert opem, capiti grauis exiſtit: filix ſpleni auxiliatur, ſed vtero nocet: meu vrinam promouet, & capitis dolores infert: laurus neruis prodeſt, ſed conceptum enecat: mẽta ventriculo prodeſt, ſterilitatem tamen infert: camphora capiti amica, vtero inimica: Nymphæa, ſalix, ruta, lactuca ſuas habent vires, ſed omnia Venerem exſtinguunt. Quapropter, qui præter manifeſtas rerum naturalium qualitates nihil amplius cõſiderant, in magno mihi errore verſari videtur. Hinc etiam patet, quam periculoſum ſit, ex libris de virtutibus herbarum vulgo editis curationem inſtituere. Nihil enim in libris eiuſmodi reperitur, ꝙ non magnopere cõmendetur. Cum vero occultæ rerum proprietates, quę non niſi magnum requirũt iudicium, alto ſilentio prætermittantur, fieri nequit, quin grauiſſimi errores committãtur. Recte igitur Galenus comment.3. in 1. Epid. text. 1. in Medico

requirit, vt non ſolum communem rerum naturam ex diuerſarum qualitatum viribus dependẽtem, ſed ſingularum etiam occultas proprietates cognoſcat. Minime ſiquidem ſcire ſufficit, cholericos a natura calidos eſſe & ſiccos, phlegmaticos humidos & frigidos. Plurimos enim cholericos reperies, quorum ampliſſimæ venæ copioſiore ſanguine turgẽt, quam in ipſis ſanguineis. Plures item cholericos, quam Phlegmaticos, catarrhis obnoxios notabis. Quapropter recte Galenus conſulit, vt vno oculo communem, altero vero propriam & occultam hominum naturam reſpiciamus. Pari pacto ſimplicia medicamenta pręter communem & ſenſibus noſtris obuiam vim & facultatem etiam peculiari, occulta & abſtruſa proprietate ſimul vigẽt, quam ipſe Deus nos potius admirari, quã ſcire voluit. Deniq; qui purgãtium medicamentorum naturam & proprietatem diligenter obſeruarunt, ij cum Galeno cap. vltim. de atra bile, & capit. 25. libro tertio, de ſimpl. med. facult. o-
mnes

mnes fatentur, purgantia medicamenta, non indifferenter quoſuis humores, ſed determinate & electiue eos ſaltem euacuare, ad quos exſtirpandos nata ſunt. Hinc Rhabarbarum ſolam reſpicit bilem; Elleborum melancholiam; Agaricas pituitam. Addo quod admiratione dignum eſt, Scammonium, Turpetum, & ſimilia, licet fortiter operentur, hydropicis tamen exhibita, in quibus aquoſi humores exſuperant, nihil vel parum expurgant, eo quod humorem ſibi deſtinatum vix reperiunt. Si igitur ea eſt purgantium medicamētorum natura, quid obſtat, quo minus alia ſimplicia magis caput quam pectus, alia magis hepar quam vterum reſpiciant? Hac tamen in parte non omnibus, præſertim rerum naturalium imperitis, fides adhibēda, qui omnia indifferēter occultis proprietatibus ad varios humani corporis morbos valere clamitant, cum interim manifeſta & euidenti ratione illos ipſos morbos augent & exaſperant. Huius rei notabile mihi nunc ſuccurrit ex-

emplum, quod Crucinaci nuper accidit, vbi Chirurgus cuidam ex colica laborāti perſuaſerat ad colicos dolores tollendos, atramento ſutorio nihil eſſe præſtantius. Cumque æger iſtius rei rationem exquireret, reſpondit ille, non poſſe omnium rerum rationem reddi. Sic miſer perſuaſus, atramentum ſutorium exhauſit, vnde dolores vſq; adeo exaſperati fuerunt, vt agnati imperitum illū chirurgum in ius vocarent. Quamuis igitur occultas rerū proprietates, ſympathiam & antipathiam minime conſtituimus hominum imperitorum aſylum: quicunque tamen doctrinam de occultis proprietatibus a veteribus traditam, & ab omnibus ſanioribus Medicis receptam, nec non vſu & experientia comprobatam impugnant, eos non immerito rerum naturalium imperitos eſſe cenſemus.

QVÆSTIO VIII.

An medicamenta electiue purgantia, in ventriculo digerantur & concoquantur? C. N.

Si quid

SI quid eſt difficile & intricatum in vniuerſa Medicina, illud Purgantia medicamenta eſſe, facile dixerim, quippe quorum natura & proprietas vſq; adeo cognitu difficilis eſt & perplexa, vt ingenia humana varie quiquidem exagitet perfecta tamẽ & abſoluta omnium proprietatum notitia inueniri & inueſtigari vix poſſit. Summo itaque periculo non caret, quod imperitiſſimo cuique medicamenta purgantia præparare & exhibere, impune licet. Intactis autem aliis difficultatibus, inquiramus, An medicamenta electiue purgantia in ventriculo alterentur & concoquantur? Ex vna quidem parte varia adduci poſſunt, quæ ſententiam affirmatiuam tueri videntur. Primũ enim omnium Medicorũ iudicio, Hermodactyli ex remotiſſimis humani corporis partibus humores pituitoſos educunt. Elateriũ aquoſos humores in ipſo corporis habitu diffuſos, & pilulæ capitis excrementa feliciſſime expurgant, quæ certe operationes impoſſibiles eſſent, niſi medicamenta in ventricu-

lo prius concoquerentur, & per venas ad partes excrementitiis humoribus obſeſſas peruenirēt: nemo enim cruda illa & illaborata per venas diſcurrere affirmabit. Deinde Hippoc. libr. 6. Epidem. ſect. 5. tex. 34. inquit, ſi capra elaterio veſcatur, lac purgādi vim acquirere, vnde neceſſario infertur, medicamentum in ventriculo concoqui & in ſanguinem conuerti. Et Gal. in cōment. huius loci inquit, Athenis quoſdā ex largiore eſu coturnicum elleboro veſcentiū in conuulſiones incidiſſe. Quinimo omnium Medicorum ſentētia puerulis morbo comitiali correptis, nutricib. eorum purgantia medicamēta propinantur, vt lac maternū, vel nutricis vim purgandi inde acquirat. Accedit auctoritas Fuchſij, qui lib 2. ſect. 5. ca. 17. ſectionem venæ purgantibus medicamentis neceſſario præmittenda eſſe contēdit, vt nimirum imminuto ſanguine medicamētum purgans, venas inanitas inueniens, liberius trāſire, & humores per lata vaſorum ſpatia felicius expurgare poſſit: Sin præpoſtero ordine

ordine agatur, medicamentum purgans propter plenitudinem & anguſtiam vaſorum in totũ corpus deferri non poſſe, ſed abſque digna operatione in primis viis ſubſiſtere. At vero huic ſententiæ refragatur Actuarius libro tertio, cap. 7. Medicamenta electiue purgantia, ad deleteria & venenata referens, quæ cum in ventriculo nunquam concoquantur, aut in ſanguinem mutentur, ſequetur nec ipſa purgantia in ventriculo concoqui, ventriculus enim ea ſolummodo amplectitur & concoquit, quæ ſibi grata ſunt & familiaria, ingrata autem & aduerſa reſpuit, & ſi expellere nequit, intacta ſaltem relinquit. Deinde obſeruatum ſæpe fuit, pilulas deauratas eo numero & forma, vt deglutitæ erant, vomitione reiectas fuiſſe, ſubſequente nihilominus iuſta pilularum operatione. Hinc manifeſte apparet, purgantia in ventriculo minime ſubigi vel concoqui.

Ad rationes in contrariũ adductas ex Galeno lib. 2. de Element. cap. vlt. & lib. de ſemine, cap. 16. Item Ægine-

talibr. 7. capit. 4. reſponderi poteſt, Purgantium medicamentorum operationem, magnetis operationi aſſimilari. Quemadmodum igitur magnes trahit ferrum, licet ipſum ferri corp⁹ minime attingat, ſed vires ſuas ſaltem eo tranſmittat: Sic etiam medicamenta electiue purgantia, quæ corpori quidem aduerſa ſunt, humores tamen reduntantes familiaritate quadã & inſita proprietate alliciunt. Quapropter, quod Hermodactylos, Elaterium, & ſimilia fortiſſima pharmaca attinet, ſua quidem ſubſtantia ad remotiſſima loca non perueniunt, vires autem cum fortiſſimæ & efficaciſſimæ ſint, procul deferri poſſunt. ſic etiam pilulæ caput purgare dicuntur, non quod ſubſtantia illarum in caput efferatur, ſed quod morã longiorem in ventriculo, ducendo, & in caput effumando, vires ſuas felicius expediant. Hinc nonnulli, quamuis male, pilulas poſt cœnam deglutiendas eſſe conſulunt, vt vapores & vires pilularum cum vaporibus alimenti commodius ſurſum ferantur. Ad animalia,

malia, quorum lac purgandi vires habet, reſpondetur, Elleborum, Tithymalum, Ebulum, & ſimilia purgantia, beſtiis non eſſe medicamenta ſed alimenta, vt mirum non ſit, quod in ventriculo eorum digeruntur & concoquuntur, lac vero animalium iſtorum nobis alimentum eſſe deſinit, & medicamentum eſſe incipit, quamdiu purgantibus veſcuntur.

Nutrices quod attinet, quarum lac ab aſſumtione pharmacorũ purgantium puerulis purgatio fit, reſpondetur, propterea non ſequi, ipſa medicamenta in ventriculo nutricum concoqui, & cõcocta ad mamillas deferri, ſed potius medicamenta vires ſuas ſanguini imprimere, cuius ſi puerulí tempeſtiue participes fiunt, ſanguine ſcilicet in lac conuerſo, purgari conſueuerunt. Reſtat, vt Fuchſius recte intelligatur, qui ſi de medicamentis laxantibus & emollientibus locutus eſt, recte ſenſit: conſtat enim laxantia & emollientia naturæ noſtræ non eſſe contraria & aduerſa, ac proinde alterari in ventriculo. Sin de electiue

purgantibus locutus eſt, non ſubſtantiam, ſed facultatem eorum tranſire intelligit.

QVÆSTIO IX.

An diuerſarum operationum medicamenta inuicem permiſcenda, vel cum alimentis ſint aſſumenda? C. N.

INanis quædã perſuaſio multorum occupauit animos, qui exiſtimant, non eſſe vtendũ medicamentis compoſitis, quia Deus Opt. Max. ſummus Medicinę parens, ſimplicia duntaxat medicamenta ad vſum humanũ neceſſaria creauit. At vero omiſſis omnibus aliis, vel ſolæ aquæ minerales abunde teſtantur, Deum etiam compoſitas, miroque artificio commixtas medicinas creaſſe, vtpote quæ ex alumine, ſulphure, nitro, ſale, bitumine multiſq; aliis inuicem cõmixtis conſtant. Minime etiã ſequitur, ſimplicia tantum medicamenta vſurpãda eſſe, ſi nulla compoſita creata forẽt. Deus enim omnis generis animalia ad victum & ſuſtentationem noſtram neceſſaria creauit, nec tamen propterea

piſces

piſçes & ſimilia alia ſine preparatione & commixtione comedēda ſunt. Etſi vero cōpoſita medicamenta non minus quam ipſa ſimplicia, ad quotidianum vſum neceſſario requiruntur: in componendis tamen medicamentis illis grauiſſimos ſæpe errores cōmitti nulli dubium eſt. Inter alios autem errores enormis & plane periculoſus eſt, quando vel ex oſtentatione, vel ex ignorantia, diuerſarum operationum medicamenta miſcentur & confunduntur. Exempli gratia, Quando medicamenta ſudorifera, vel calculum pellentia, vel menſtrua, aut vrinam promouentia cum purgantibus miſcentur. At inquis, multos nec indoctos videas Medicos, quibus familiare eſt & vſitatum, medicamenta vrinam promouentia cum purgantibus permiſcere. Reſpondeo, Non exemplis, ſed regulis iudicãdum eſſe. Cum igitur regula ſit poſita, diuerſarum operationum medicinas inuicem cōfundendas non eſſe, corruit, quidquid de quorundam mala conſuetudine infertur.

Addo, quod ex antiquioribus præclariſſimis Medicis nemo imperitam eiuſmodi confuſionem tradidit. Oribaſius, Actuarius, Trallianus, Aretæus, Paulus, Aetius, multique alij varias memoriæ prodiderunt medicamentorum vrinam propellentiũ formulas, nuſquam tamẽ purgantia cum diureticis confuſa monumentis ſuis poſteritati reliquerunt. Si mihi Aetium obiicias, qui ſemel ex Oribaſii ſententia Rhabarbarũ diureticis admiſcet; Reſpondeo, Oribaſium per Rhabarbarum non inrelligere radicem illam purgãtem, ſed potius centaureum magnum: ac ptoinde neq; Aetium de purgante pharmaco locutum eſſe, præſumendum. Inſtas, Nullum ferme purgans medicamentum abſq; ſemine aniſi, fœniculi, aliorumque diureticorũ componi. Reſpondeo: Si diuretica in ea aſſumũtur doſi, quæ ad corrigendam flatulentam quorundam purgantium naturã ſufficit, minime improbantur. Quotieſcunque vero, vel in maiore doſi, vel extra hanc flatuum neceſſitatem adduntur

duntur, infelix ſemper eſt operatio, magnaq; ſcroti & inteſtinorum tormina ſequuntur. Reiecta vero aliorum Medicorum auctoritate, cui citra rationem nemo aſſentiri tenetur, ipſas conſideremus rationes, quæ dextrum Medici crus, vt Galenus inquit, conſtituunt. Manifeſta ratio eſt, medicamenta purgantia, nō niſi magno cum periculo diureticis permiſceri, eo quod diuretica materiã peccantem vi purgantis medicamēti impetuoſe agitatam & commotam facili negotio ad renes, vreteres & veſicam præcipitant; vnde obſtructiones & calculi neceſſario generantur vel augentur. Cum ergo diuerſa ſit operatio purgantium & diureticorum, nec vnius operatio ſine alterius impedimēto vel periculo fieri poſſit, temere non erunt confundenda. Idem iudicium ſit de purgantibus & ſudorem prouocantibus, quæ nō niſi præſentiſſimo cum periculo inuicem miſcentur. Cum enim purgantia cōtrarium plane motum a ſudoriferis moliantur, & a partibus exterioribus ad

interiora loca expulſionem promo-
ueant, cõtra vero ſudorifera ab inter-
ioribus ad exteriores partes cutaneas
propellant, certum eſt non ſolum na-
turam cõtrario iſto modo, vehemen-
ter lædi, ſed infelices etiam venarum
obſtructiones ſubſequi. Huc refero
Galenũ, qui in libr. Quos purg: opor-
tet, præclaram ponit cautionem, di-
ligenter nimirum eſſe proſpiciẽdum,
vt in ordinandis medicamentis pur-
gantibus ea inuicem miſceamus, quæ
conſentiunt & pariter operantur. Si
enim vnum cito, alterũ tarde aluum
mouet, naturam multũ affici & mole-
ſtari. Quod ſi igitur Galenus inæqua-
lem medicamentorum purgantium
operationem accurate & ſolicite fu-
giendã præcipit, quanto magis diuer-
ſiſſimarum operationum medicinas
inuicem cõfuſas improbat? Ceterum
in hunc eundem errorem incidunt,
qui vina purgantia, vel calculum pel-
lentia, vel ſudorem prouocantia cum
cibo potuque permiſcent. Neceſſe ſi-
quidem eſt, vel cibum minus nutrire,
vel nondum ſatis elaboratum, vi me-

dicamen-

dicamenti trahentis ad generandas multiplices venarũ obſtructiones attrahi. Noui magni nominis virũ, qui ex familiari & frequenti cuiuſdã pulueris, calculum comminuentis inter prandendum vſu, renes totius corporis quaſi cloacam reddiderat. Natura enim edocta, vſuq; medicamenti incitata omnes ſuperfluitates ad renes tanquam ad communem cloacam depellebat, adeo vt materia ad regenerationem lapillorum nunquã deeſſet. Verum hic obiiciat aliquis, Vinum, licet diureticum ſit, multa etiam vini genera calculum ſua natura expellant, innoxie tamen cum cibis permiſceri. Reſpondeo: Vinum propter quotidianum vſum non habere vim medicamenti, ſed alimenti, quamuis, impuris exiſtentibus corporibus, obſtructionibus gignendis magnam occaſionem præbet. Idem iudicandum de fontibus acidis, qui licet calculum comminuant & expellant, in iis tamen, qui acidulis pro potu ordinario vtũtur, multo remiſſius operantur, nec vim medica-

menti retinent, ſed vim alimenti acquirunt. Iterum obiiciat aliquis, Hippoc. 6. Epidem. ſect. 5. tex. 29. Purgantia medicamenta cum alimentis miſcere, quando inquit: Si elleborum celeriter operari velis, cibum ſumito vel leuato. Ad hãc obiectionem: Reſpondet Galenus in comment. Hippocratẽ non reſpexiſſe ad ipſum purgationis actũ, ſed ad præparationem corporis. Cum enim Hippocrates videret ſicca corpora difficulter purgari elleboro, conſuluit, vt prius conuenienti cibo vel lauacro humectarentur, quo deinde ellebori operationem facilius ſuſtinerent, nec in lethales conuulſiones ob medicamẽti ſiccitatem inciderent. Ipſe etiam Hippocrates apho. 13. ſect. 4. expreſſè ponit vocem, *ante*, inquiens: Ante ellebori vſum cibo vel potu humectandum eſſe. Denique ex Aetio infertur ſermo. 3. lib. 1. ca. 37. Purgantia cũ cibo ſumta optima eſſe. Reſpõdeo Aetium toto iſto contextu tantummodo de laxantibus & emollientibus, minime vero de pharmacis electiue purgan-

purgantibus agere: id quod ex ſubſequentibus capitulis euidenter apparet. Certum igitur eſt, eos in graui errore verſari nō ſolum qui diuerſarum operationum medicamenta inuicem permiſcent, ſed etiã qui medicamenta cum alimentis confundunt, quod Galenus comment. 4. de vict. acut. text. 44. nec non comment. 2. tex. 12. multis adductis rationibus euidenter demonſtrat.

QVÆSTIO X.

An renes calidi per medicamenta extrinſecus applicata contemperari poſſint? C. A.

SOlent vt plurimũ omnes, qui delicatiores ſunt, a medicamentis ore aſſumendis abhorrere. Hinc vſu venit, vt ſolis externis remediis curari expetãt. Quod cum difficilimum ſit, ne dicam impoſſibile, non ſine ratione quæritur, An renes iuſto calidiores per medicamenta extrinſecus vſurpata refrigerari & ad iuſtam temperiem reduci poſſint? Hac in parte ſi profundam rerum ſedẽ, potiſſimum

vero in corporibus pinguibus & muſculoſis perpendo, veriſimile videtur per externa remedia parum vtilitatis exſpectandum eſſe. Accedit, quod remedia, quæ refrigerandi facultate prędita ſunt, ſi externæ cuti applicētur, poros, omneſq; meatus per quos medicamēti vis & facultas penetrare & ad renes deferri debebat, cōſtipare, condenſare & occludere videntur. At vero Hippoc. docet, vniuerſum corpus eſſe perſpirabile ſibiq; conſentiens & communicans, adeo vt natura facile viam inueniat, quæ noſtris oculis inueſtigari nequit. Deinde, ſi externus aer ad interiora viſcera penetrat, eaq; varie diſponit & immutat, non eſt dubitandum, quin medicamenta extrinſecus applicata idem poſſint. Deniq; omnium Medicorum libri variis externis & localibus, vt loquuntur, medicamentorum formulis ſunt referti, quibus quotidiana ſubſcribit experientia, nec vanum, nec inutilem eſſe illorum vſum. Quapropter, cum ſenſibus euidens ſit, remedia extrinſecus applicata ſuas etiā habere ope-

ratio-

rationes, ſuperuacaneũ eſſet pluribus demonſtrationib. illud ipſum cõprobare, vt inquit Gal. de opt. ſect. cap. 2. Item lib. 2. de Temperam. c. 2. At vero magna eſt remediorum, quę ad refrigerandos renes præſcribuntur, varietas. Alia enim ſolida ſunt, alia liquida. Solida ſunt laminæ plumbeæ, emplaſtra, cerota, plantarum & arborum folia. Liquida vel pinguia ſunt, vel aquoſa. Pinguia ſunt vnguenta, olea & pinguedines. Aquoſa ſunt acetum, aquæ deſtillatæ, ſucci ex florib. herbis, foliis, fructibus & radicibus expreſſi. Hæc omnia vel illinũtur, vel fomenti loco applicantur. Ceterum in hac externorũ remediorũ varietate aliquot regulæ cautionis loco ſunt obſeruandæ. Prima regula eſt Auic. Fen. 4. vbi monet, ne viſceribus nobilioribus remedia vehementer frigida applicentur, ne innatus illorũ calor prorſus extinguatur. Altera, ne iis vtamur, quæ inſita & occulta proprietate ſterilitatem inferunt, vt ſunt Camphora, Lactuca, Hyoſcyamus, Cicuta & ſimilia. Tertia, ne refrigerantia ipſo actu

frigida applicētur. Alioquin pori cutanei contrahuntur & conſtipantur, vt facultas medicamenti penetrare non poſſit. Quarta, Pinguia, renibus vehementer calidis exſiſtentibus, temere non eſſe vſurpanda, eo quod calorem non aliter, quam oleum flammam, conſeruant. Quinta, cum vnguenta aliaque pinguia non ſine multiplici illinitione vſurpētur, facile fit, vt ex crebro illo manuū ductu & frictione, renes magis incaleſcant? Sexta, Emplaſtra & cerota, quia cuti tenaciſſime adherent, poroſque cutaneos occludunt, liberam tranſſpirationē impediunt, & proinde calorem intus fouent magiſq; adaugent. Quapropter tutius eſt vſurpare ſuccū ſemperuiui, anagalidis, nymphææ, acetoſæ, & ſimilium herbarum cum iuſta aceti portione. Gordonius tamen feliciſſime etiam vſurpauit laminā plumbeam ſupra renum regionem alligatam, quam ſi æger incaleſcere ſentit, frequenter immutabit. Hoc interim ignorandum non eſt, externa & localia remedia, quo ad vim & efficaciam,

cum

eum remediis intra corpus aſſumtis, minime comparari poſſe.

QVÆSTIO XI.

An rationalis ſit curatio, quando canis rabioſus, & qui ab eo læduntur, in aquam præcipitantur.

C. N.

GAlenus, Aetius, aliique ex veteribus Medicis, eos qui a cane rabioſo commorſi erant, fere omnes huncin modum curabant: Primum, vulnus morſu inflictũ, ferro ampliabant, deinde venenum variis modis extrahebant, lotione ſcilicet ex aqua ſalſa marina, cucurbitulis, aliiſq; medicamentis ex theriaca, nitro, cœpis, & ſimilibus appoſitis. Denique vulnus diu apertum ſeruabant. Huic curationi, quæ methodica certe & naturalis fuit, plane contraria eſſe videtur præcipitatio illa in aquã frigidam, apud ignarum & imperitum vulgus vſitata: ſtatim enim comprehendunt non ſolum canes rabioſos, ſed etiam homines ab eis commorſos, & in aquam frigidam præcipitant: certum

ſiquidem eſt, aquam frigidam vulneri vniuerſoq; corpori admotam, venenum ab exterioribus partibus ad interiora viſcera compellere, vnde præſentaneum vitæ periculum imminet, cum Medici potius officium ſit, venenum ab interiorib. ad exteriores partes euocare. At inquis, terror ille, qui ex inopinata illa præcipitatione ægris incutitur, plurimum præſtare poteſt: calor enim natiuus iam ante diſperſus concentratur & vnitur, vt facilius venenum vincere & expellere poſſit. Hinc memorabilia Podagricorum, Paralyticorũ & ſimiliter affectorum, exempla typis excuſa exſtant, qui lectulis affixi, nec pedib. inſiſtere valentes, incendio aũt vel inopinata aliqua ſeditione, vel ſimili terrore exorto, in pedes ſe coniecerũt, & celeri fuga ſibi proſpexerunt. Sed reſpondetur, eſſe diſſimilia exẽpla: Podagrici enim & Paralytici, ſimplici humorũ exceſſu, demorſi vero a cane rabioſo, humorib. veneno infectis laborãt. Quẽadmodũ aũt in ira calor natiuus omneſque humores ab interiorib. viſcerib.

ad ex-

ad exteriores partes cutaneas ferũtur & furioſe quaſi p̃cipitantur: Sic e contrario in metu & terrore humores a partibus exteriorib. ad interiores rapiuntur, quod magnã interdum vtilitatem podagricis & paralyticis affert. Quãdo vero humores veneno aliquo ſunt infecti, fieri nequit, quin excitato terrore cum magno vitæ periculo ad interiora & nobiliora viſcera confugiant. Si Corneliũ Celſum obiicis, qui a cane rabioſo commorſos inopinantes in piſcinam præcipitare iubet. Reſpondeo, In curatione eorum, qui morſi ſunt, duos eſſe ꝓpoſitos ſcopos. Primus debetur ipſi morbo, ſcil. vt venenum per vulnus illatum, ſine omni cũctatione extrahatur. Alter debetur ſymptomatib. ſuperueniẽtibus. Grauiſſimum autem ſymptoma eſt ſitis & aquæ formido: aquam enim qui morſi ſunt vſque adeo fugiunt & auerſantur, vt ne aſpectum eius ferre poſſint. Hinc ex diuturna ſiti (nulla enim ratione cogi poſſunt, vt bibant) extrema ſiccitas oritur, quę, vt Ægineta inquit, Spaſmos & conuulſiones exci-

tat, quas Hippoc. in libr. Aphoriſmorũ lethales eſſe pronunciat. Celſus igitur præmiſſa curatione, quæ veneno debetur, deinde aliã ſubiicit, quæ ſiti & hydrophobiæ conuenit, quæ interdum poſt aliquot mẽſes ſuperuenire ſolet. Obſeruandum autem, Celſum non reſpicere ſimplicem illam præcipitationẽ & externam aquæ affuſionem, ſed eam potius Celſi & aliorum eſſe ſententiam & intentionem, vt ægri, quia aquam & omnem potum reſpuunt, vi adhibita bibere cogantur, ꝓpterea inquit Celſus, qui natare poſſunt vi immergendos eſſe, vt bibant. Quapropter dubium non eſt, quin immerſio iſta in aquam frigidam ex doctrina Medicorum minus intellecta, ab ignaro vulgo vſurpari cœperit. Vnde apparet, quanta pericula emergant, ſi imperitum vulgus ſine omni iudicio Medicorum libros inuolat, & conſilia eorum ſimiarum more quidvis imitari volentium, ſecundum analogiſmum imitari conatur. At inquis, ex recentiorib. Medicis eſt Fallopius, qui in lib de Tumoribus narrat quen-
dam

dam Mutinenſem a cane moſos citiſſime ad aquam frigidam ſine alia illati veneni ꝓpiſione deduxiſſe, & omnes feliciter reſtituiſſe. Reſpõdetur, Mutinenſem illum vſum eſſe aqua lutoſa nõ pro balneo, ſed pro potu, cogebãtur enim plurimum bibere ad vomitum vſq;, cuius vomitionis beneficio venenum fuit reiectum. Neq; mirum videatur venenum vomitione reiici: referunt enim Hiſtorici Albertũ Auſtriæ Ducem & Romanorũ Imperatorem venenũ vomitu reieciſſe. Ludouicus etiã Bauariæ Dux & Romanorũ Imperator aliquoties venenum vomitu expuliſſe dicitur. Deinde reſpondetur, aquam lutoſam pro potu exhibitam vim habere alexipharmacam: Omnis enim terra, vt teſtatur Auicẽna, vim habet alexipharmacam, non minus quam terra Turcica, Sileſiaca, aut Solmenſis. Quapropter ex diſſimili adminiſtratione & operatione aquæ frigidæ nihil infertur: aqua enim intus exhibita, vomitum, aluum & ſudorem mouet & veneno reſiſtit, extrinſecus autẽ vſurpata, ſolummo-

do repellendi vim obtinet. Deniq; in contrarium adduci poteſt Ægineta lib.5. c. 4. vbi ſpongiã aceto madefactam, item folia rubi in aceto contrita vulneri imponit, q̃ tamen omnia manifeſtã vim habẽt venena ad interiora viſcera repellendi. Reſpondeo, Æginetã in principio huiuſmodi repellentia non apponere, ſed veneno iam deuicto. Deinde Ægineta ſymptomatibus vrgentib. ſuccurrere volens, vtpote inflãmationi vel ſimili, ipſum interea morbũ minime negligit. Sed experiẽtiam, empiricorũ extremum refugium obiicis, multos, ſcilicet, in aquam frigidam initio ſtatim coniectos, omne periculum euadere. Reſpondeo, Ex centum canibus, qui furioſi credũtur, vix vnũ vere furioſum vel rabioſum eſſe. Deinde in noſtris regionibus vbi aerem habemus temperatum, in tantam rabiem nõ aguntur canes, quãtum ij experiuntur, qui calidiſſimas & ſicciſſimas regiones incolunt. Quapropter aquæ imputari nequit, quando virus vel nullũ adeſt, vel debile & infirmũ, per ſe euaneſcit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XII.

An Pica ſolius ventriculi & vteri vitio fiat? C.N.

INter alias pœnas, quibus Deus ob lapſum primorum parentũ muliebrẽ affecit ſexũ, multiplices iſti morbi, qui ſolis prægnantibus accidunt, merito numerantur. Omnium vero morborũ maxime admirabilis eſt inuſitatus ille, inhumanus & inſatiabilis rerũ non edendarum appetitus, quãdo pręgnantes vel carnes crudas, easque vel humanas, vel pecuinas, carbones etiam & terrã miro ardore appetunt & impune interdum deuorãt. Hunc affectum Hippoc. in lib. de ſuperfœtat. Picã nominat. Cauſſam huius mali. Gal. lib. 1. de ſympt. cauſ. c. 7. Aetius lib. 4. ſerm. 4. c. 10. Actuarius lib. 1. c. 20. Ex recentiorib. Mercatus, Montanus, Sauonarola, & quotquot de morbis mulierũ ſcripſerũt, in corruptos & indicibilis qualitatis humores, vel vapores ex vtero aſcẽdentes, & ventriculũ occupantes coniecerũt, quaſi ꝑ varia humorũ & vaporũ ex vte

ro in ventriculum irrepentium conditione, varia & inſueta edulia appetantur. Suſpicor tamen huius appetitus cauſſam minus philoſophice ſoli ventriculo imputari. Etſi enim ventriculi officium ſit cibũ appetere, ciborum tamen electio, hunc ſcilicet cibum tanto ardore appetere & eligere, illum renuere, penes cerebrum eſſe videtur. Recte igitur Aetius lib. 3. c. 20. ventriculi appetitum ſimplex expletionis deſiderium appellat: eligere namq; & diiudicare cibus, hunc vel illum, licet pernicioſum & inſuetum appetere, poſthabito & neglecto omni periculo, non ventriculi, ſed cerebri vitio accidit. Videmus puerulos, qui mente & iudicio nondum valent, ſimili fere modo res inedules ſaluberrimis cibis præferre, & deuorare, quod certe non ventriculi, ſed cerebri male diiudicantis vitio accidere certũ eſt. Quapropter dubium non eſt quin inordinatus ille & præternaturalis prægnantium appetitus, ſi non ex cerebro ſolo, a prauis & corruptis vteri exhalationibus infeſtato,

ſaltem

ſaltem ſimul & vna cum vẽtriculo affecto, oriatur, ac proinde non ſolum ventriculus, ſed potiſſimũ ipſum cerebrum accommodata remedia expoſtulet & requirat.

QVÆSTIO XIII.

An mel & ſaccharum gignendis vermibus ſint idonea? C. N.

MEl & ſaccharũ puerulis exhibita plurimum ad vermium generationem conferre, non ſolum muliercularũ turba, ſed etiam Medicorum nonnulli perſuaſum ſibi habent. Hoc ipſum dulcia ceraſa atteſtari videntur, in quib. vermiculi magna copia generari ſolent. Quo forſan nonnulli commoti dulcedinem matrem putredinis appellarunt. Verum, ſi generationẽ vermium diligenter conſideremus, apparebit, nihil magis melle & ſaccharo generationẽ vermium impedire. Conſtat apud omnes, vermes ex craſſa, cruda & pituitoſa materia putredini obnoxia generari. Mel vero & ſaccharum, oleum & vinum omnium aliarum rerũ minime com-

putreſcunt: quemadmodum Galen. acerrimus naturæ indagator libr. 3. de ſimpl. medic. facult. cap. 15. teſtatum reliquit. Quinimo mel & Saccharum putredini vſque adeo reſiſtunt; vt quæcunque a putredine & corruptione longo tempore tueri & conſeruare volumus, ſaccharo & melle condiamus. Leuinus Lemnius etiam in libro, quē de Occultis naturæ miraculis edidit, non ſolum amara, ſed dulcia quoq; vermes occidere prodidit, adeoque vuas paſſulas ad necandos vermes cōferre aſſerit. Huius rei ratio ex variis Galeni textibus, potiſſimum vero textu 11. com. 3. de vict. acut. Item lib. 2. de ſimpl. med. facult. capit. 14. dari poteſt: quod nimirum mel & ſaccharū in temperatis corporibus optimum generant ſanguinem, in calidis vero corporibus in bilem amaram vertuntur. Iam vero ex lib. 12. Tralliani cōſtat, ex optimo ſanguine vermes generari nō poſſe. Bilis etiam non ſolum ad generationē vermium eſt ineptiſſima, ſed etiam propter amaritudinē vermes interimit. Qua-

propter

propter Ægineta lib. 1. cap. 5. reiecta vana illa ſolicitudine, mel tanquam primum alimentum puerulis exhibendum eſſe docet. Ad exemplum vero ceraſorum quod attinet, dupliciter reſpondetur: Primũ maximam eſſe differentiam inter ceraſa, mel & ſaccharũ. Ceraſa enim, vt & alia plura dulcia, dulcedinẽ ſuam in nimia humiditate fundatam habent: Sacchari vero & mellis dulcedo in maiori ſiccitate poſita eſt, ac proinde nimia potius humiditas, quã dulcedo, vermiũ generationi occaſionẽ præbet. Deinde diſtinguendum inter perfectam & imperfectam dulcedinẽ. Ceraſa, lac, & alia huius generis, quæ corruptioni vermiũq; generationi expoſita ſunt, imperfectam: mel vero & ſaccharum perfectiſſimam dulcedinẽ obtinent, vt docet Galen. libr. 4. de ſimpl. medic. facult. cap. 17. Denique in melle & ſaccharo leuis quædam acrimonia intenſiorque calor ineſt, cuius beneficio a putredine magis magiſque defenduntur. Hinc fit, vt ceraſa, lac, piſces multaq; ſimilia gignen-

dis vermibus materiam ſuppeditent: mel vero & ſaccharum ab omni corruptione & putredine præſeruent.

QVÆSTIO XIIII.

An omnia amara ſint calida, vt docet Galenus? C. A.

GAlenus acerrimus rerum naturali ſcrutator, libr. 4. ſimpl. med. facul. cap. 7. 9. 19. & 22. Omnia amara calida eſſe pronuntiat. Cõtrarium tamen in lactuca, cichorio, in ipſo denique opio, & ſimilibus aliis apparet, quæ licet amara ſint guſtantibus: omnium tamen Medicorum iudicio, frigida cenſentur. Hinc veteres lactucam ob refrigerãdi ſomnumq; inducendi facultatem in fine cœnæ aſſumere ſolebant, vnde carmen:

Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat auorum.
Dic mihi cur noſtras incoat illa dapes?

Sic Medicis nihil eſt vſitatius, quam cichorium, ad contemperandum hepatis feruorem, exhibere. Opium vero ram eſt frigidum, vt ſtuporẽ etiam inferat, & Gal. libr. 8. de comp. med. cap. 3. nimiam opij frigiditatem vel croco vel caſtorio corrigat. Ab hac apparen-

apparente contradictione vt liberetur Galenus. Reſpondemus, ipſum in locis citatis de rebus proprie amaris locutum eſſe, quibus tres proprietates perpetuo inſunt. Prima proprietas eſt, vt ſola amaritudo rebus inſit, vel certe prædominetur, cuiuſmodi eſt aloe, item fel; quæ duo a Gal. lib. 4. ſimpl. med. cap. 4. quaſi pro exemplo rerum amararum ponuntur. Altera eſt, vt res proprie amara extreme ſicca ſit, & moleſte exaſperet, quod requirit Aetius lib. 1. cap. 1. Tertia eſt, vt ad nutriendum ſit plane inepta, vt nquit Gal. 4. ſimpl. med. cap. 20. Si nim dulcia optime nutriunt, quod aſſim omnes fatētur Medici, ſeque-ur ex natura contrariorũ, amara pla-e nihil nutrire. Iam vero lactuca nul-am dictarum proprietatum habet, impliciter enim amara non eſt, ſed ubdulcis & pinguis, multo minus ex-reme ſicca vel exaſperans. Denique d nutriendum non eſt inepta, ſed a-tiſſima: Lactucam enim plurimum utrire, Galenus & recentiorum non auci memoriæ prodiderunt. In opio

autem deeſt, non ſolum prima rerui
amararũ proprietas, ſed etiã ſecund.
ſimpliciter ſiquidem amarum nõ eſ
ſed ſi exquiſite guſtetur, acerbitat
particeps eſt, cuius ratione refrig
randi facultatem acquirit. Quod au
tem amaritudo manifeſtius percip
tur quam acerbitas, id fit, quoniam a
maritudo, quę nobis eſt aduerſiſſima
acerbitatẽ reprimit & occultat, que
admodum Gal. lib. 4. ſimpl. med. c. 8
inquit, duos interdum ſapores vni re
ineſſe, adeoque vnum alterum obſcu
rare, quaſi non ſit, cum tamen reuer
ſit & ſimul operetur. Idem fatetur E
raſtus in Epiſtol. ad Monauium, No
omnia, inquit, quæ guſtus non perc
pit, calida & frigida, talia reuera no
eſſe: ſapor enim alium ſaporem obfu
ſcat, vt non ſentiatur, quamuis plur
mus adſit, quemadmodum in opio a
maritudo tegit ſaporem partium re
frigerantium. Cichorium quod atti
net, variæ ſunt illius ſpecies, q̃ in do
meſticas & ſylueſtres diuiduntur. Do
meſticæ minus ſunt amaræ, plurimũ
que humiditatis habẽt, ſicut ipſa En
diui-

diuia: Syluestres vero amariores ſunt & ſicciores. Hinc fit, vt domeſticum cichorium, licet amarum ſit: propter nimiam tamẽ illam humiditatẽ vis & facultas calefaciẽdi impediatur. Syl-ueſtris autem cichorij ſpecies, cum maiorem amaritudinẽ & ſiccitatem manifeſtiorem habeant, ſine dubio aliquid caloris retinent. Quod autem & ipſæ hepar refrigerare creduntur. id ex accidenti fieri dixerim. Conſtat enim, qui calida hepatis intemperie laborãt, eis variis oppilationibus obnoxios eſſe, quibus per cichoracea, apertis & ablatis obſtructionibus, factaque liberiore tranſpiratione, hepar ipſum ex accidenti liberius ventilatur & refrigeratur.

QVÆSTIO XV.

An excrementa infantium alue reddita a bile flaua tingantur?

C. A.

SI Hippocratem ſummum Philoſophum, & nobiliſſimum Medicum non puduit alui excrementa extra ædes iam effuſa, poſtera etiam

die inſpicere, & in vſum humani ge
neris conſiderare, quemadmodun
ex lib. 2. Epidem. ſect. 3. apparet, neq
nos pudere debet cauſſam inquirere
cur excrementa infantium flaua ſin
& lutea. Ægineta libr. 2. cap. 13. alu
excrementa ab humorib. tingi & co
lorari fatetur, vt a bile flaua flaueſcāt
ab æruginoſa vireſcant, a melancho
lico ſucco nigreſcant, &c. Sic Actua
rius lib. 1. c. 13. aſſerit, calorem excre
mentorum alui, humores intus laten
tes repræſentare. Si itaq; excremen
ta ab humoribus tinguntur, ſequetu
infantes lōge eſſe bilioſiores adultio
ribus, ſiquidem excrementa illorun
magis flaueſcunt. Reſpondetur, Ma
gis tincta eſſe infantium excrementa
non quod plus bilis habeant, ſed po
tius, quia excrementa eorum alioqu
ob ſimplicem victū & albicantes pul
ticulas facilius tinguntur, quam alio
rum, qui variis cibis veſcuntur: qu
enim per ſe alba ſunt, illa magis & fa
cilius tinguntur, quam quæ pluriun
ſunt colorū. At, inquis, Si nihilomi
nus a bile flaua tinguntur excremen
ta in

a infantium, qui fit, quod tenella eo-
um inteſtina a bile tranſeunte non
exulcerantur: Galenus enim lib. 5. de
ſu partiũ cap. 4. inquit, bilem flauam
acrem eſſe, mordacem & exulceran-
em. Reſpondetur, Licet excrementa
nfantium a bile flaua tingantur, mi-
ime tamen illam acrem eſſe & mor-
lacem, quemadmodum in ętate pro-
ectiore, ſed mitem, & exulcerare ne-
cientem. Quemadmodũ enim pue-
i ab Hippocrate longe calidiores vi-
is ſtatuuntur, calore tamen nec acri
& mordace exiſtente: ſic bilis flaua in
enera quidem ætate cernitur, ſine
mordacitate tamen, nec exulcerans.

QVÆSTIO XVI.

An teſticuli ad formationem vocis requirantur? E. A.

CVm equus Caſtratus hinnitũ deperdat, capo canere deſinat, vel
antum infirmiorem, & a priore diſ-
crepantem edat, maſculi etiã puber-
atis tempore vocem ſenſibiliter im-
mutent, ſuſpicari licet, teſtes ad orga-
na ſeu inſtrumenta vocis pertinere.

Gal. lib. 7. de vſu part. cap. 4. & ſeq. aſperam arteriam & guttur. Lib. 1. de motu muſcul. ca. 3. linguam. lib. 8. de adminiſt. Anatom. coſtas, muſculos & neruos. Libr. 4. de locis affect. cap. 6. dentes, labrum, narium foramina & palatum. Lib. 6. de vſu part. cap. 9. Et lib. 7. cap. 5. pulmonem. In Comment. vero 4. 6. Epidem. text. 27. nec non in libr. de ſem. teſtes quoque ad conformationem vocis conferre docet. Huius autem rei cauſſam (teſtes nimirum, licet procul a reliquis vocis inſtrumentis ſint remoti, ad vocem tamen multum cõferre.) potiſſimum in calore poſitam eſſe, ſtatuere licet: eſt enim Hippocratis ſententia lib. 6. Epidem. ſect 4. text. 24. magnam vocem a magno calore fieri: ad vocem enim magna ſpiritus efflatio requiritur, ad quam efficiendã & continuandam, robore & calore opus eſt. Iam vero Galenus libr. de ſem. cap. 15. teſtes, alterum a corde, caloris & roboris fontem conſtituit. Quinimo Ariſtoteles lib. 5. de generat. animal. excisis teſtibus, nõ ſolum alterum calo-

ris fon-

is fontem perire, ſed ipſius etiã cordis calorem imminui & debilitari docet. Conſenſum autem cordis & teſtium per venas & arterias fieri docet Aetius lib. 1. ſerm. 3. ca. 8. Diſtructo igitur vno caloris fonte, alterius etiam robur imminuatur, & per conſequẽs, vox immutetur neceſſe eſt. Verum, huic rationi repugnare & ſibi ipſi contrarius eſſe videtur Galen. cap. 57. Artis medicæ, vbi diſertis verbis aſſerit, vocis magnitudinem a caliditate non fieri. Sed facilis eſt pro Galeno reſpõſio, calorem ſcilicet non eſſe proximam magnæ vocis cauſſam, ſed potius antecedentem: dicto enim loco Galenus duas proximiores cauſſas magnę vocis ponit, amplitudinem ſcilicet aſperæ arteriæ, & fortem efflationem, vtramque vero iſtarum cauſſarum a magno calore exiſtere, non ſolum in Arte medic. ſed paſſim etiam, docet Galenus.

QVÆSTIO XVII.

An Hepar ſupra ſeptum tranſuerſum poſitum ſit, vt Ariſtoteles voluiſſe videtur? C. N.

HEpar ſub diaphragmate ſeu ſepto trãſuerſo in dextro latere, a Deo, rerum omnium ſummo artifice collocatum eſſe, ex Medicis nemo hactenus dubitauit. Ex Philoſophis tamen ſummus Ariſtoteles lib. 1. Hiſto. animal. cap. 17. inquit, ὑπὲρ δὲ τὸ διάζωμα ἐν μὲν τοῖς δεξιοῖς κεῖται τὸ ἧπαρ: hoc eſt, ſupra ſeptum, in dextro quidem latere poſitum eſt hepar. Cum igitur hæc Ariſtotelis ſententia omnibus Anatomicis, & oculari demonſtrationi manifeſte aduerſetur, nec tamen cogitare liceat, ſummum Philoſophum & rerum naturalium ſcrutatorẽ in re tam aperta hallucinatum eſſe, commoda verborum Ariſtotelis interpretatio laudem merebitur. Hãc ego laudem fideliſſimo Ariſtotelis interpreti & defenſori acerrimo, Dn. Zabarellę in Gymnaſio Patauino Profeſſori celeberrimo, deberi exiſtimo, quem aliquando pro lectione dicere memini, Græcam vocem, ὑπὲρ, non ſemper ſignificare *Super* vel *Supra*, ſed *Vltra*. Dixerit igitur Ariſtoteles, Hepar poſitum eſſe vltra ſeptũ trãſuerſum. Cum

enim

enim vnus & idem diſſecandi corpora proceſſus nõ obſeruetur, ſed quandoque initium a pedibus, interdum ab imo ventre, vel a pectore fiat, ſine dubio Ariſtoteles initium ab ipſo capite fecit deorſum procedẽdo ad pectus, quod ſepto tranſuerſo terminatur. In pectoris vero diſſectione vel contemplatione dicere licuit, Hepar poſitum eſſe vltra ſeptum. Hæc interpretatio niſi admittatur, ſine dubio grauiſſime errauit Ariſtoteles.

QVÆSTIO XVIII.

An cor in ſiniſtro Thoracis latere collocatum ſit, vt vulgo creditur?

C. N.

DE corde non ſine cauſſa quęritur, An in ſiniſtro Thoracis latere poſitum ſit, quod nonnullos, qui in Anatomicis etiam exercitati volunt haberi, ſentire video. Communis quidem vulgi opinio, & pulſatio ſub ſiniſtra mamilla apparens, cor in ſiniſtro latere collocare videntur. Cum vero contrarium ocularis inſpectio teſtetur, in qua merito acquieſcendum eſ-

ſet: ſenſibilium enim rerũ alius iudex eſſe nequit, quam eſt ſenſus, vt inquit Gal. lib. 2. de temper. cap. 2. Attamen cum præclara ſit Ciceronis ſententia. Orat. 3. Philip. magnum numen eſſe, magnamque vim habere, ſi plures vnum & idem ſentiunt, ideo liceat mihi præter ocularem inſpectionẽ, quæ fidem nõ fallit, veterum & recentiorum clariſſimorum Anatomicorum vnanimẽ conſenſum de corde in media thoracis parte collocato in mediũ adducere. Gal. libr. 2. de Placit. Hippoc. & Plat. c. 4. Cor collocatum eſt in medio pectore. Gal. libr. 7. de adminiſt. Anatom. c. 7. Cor intra vtraque pectoris latera medium occupat: Ex motu tamen apparet quaſi in ſiniſtra potius parte collocatũ ſit, ſed hoc fit propter ſpiritus conceptaculũ. Baſis autem cordis inter leuã dextramq; regionem exacte media eſt, ſicut mucro ſiniſtrum latus reſpicit. Galenus ibidem ca. 3. Pericardium cordis baſin coronæ modo ambit, & vertex turbinis modo iuxta cordis verticem ſitus, infernæ regioni oſſis pectoris cohæ-

cohæreſcit. Gal. cōment. 2. in 6. Epid. text. 44. Cor in medio pectore poſitum eſſe, & non in ſiniſtro latere, ſæpe vidiſtis. Gal. 6. de vſu part. cap. 2. Natura collocauit cor in medio pectoris ſpatio, loco, ſcilicet, ad firmitudinem aptiſſimo, & ad æqualem refrigerationem commodiſſime. Gal. ibidem cap. 7. Non fuit a natura alienum, vt cor maximū eſſet, & medium in pectore locum obtineret. Aretæus lib. 2. In medio pulmone cor reſidet. Oribaſius lib. 24. cap. 15. Cor in media pectoris capacitate collocatū eſt, pulmones illud ambiunt. Ruffus lib. 1. cap. 11. Στέρνον (os pectoris) ſub quo cor collocatur. Fernelius lib. 1. Phyſiolog. capit. 8. Sub pectoris oſſe cor reſidet. Fuchſius lib. 1. ſect. 5. Cor in homine ſua baſi, quæ nobiliſſima ipſius pars eſt, dextræ ſiniſtræque ſedis medium exacte obtinet. Fallopius in hiſtoria cordis: Cor collocatur in medio pectoris centro. Montaltus libro primo, de homine ſano, cap. 7. Dextra manus validior & agilior eſt ad operandum, non autem (vt

male nonnulli aſſerunt) propter cordis ſitum: cor enim omnino in medio pectore eſt, vt ipſa docet Anatome, quamuis propter pulſum vehementiorem, caloris & ſpirituum vitalium ratione in læua parte magis ſentiatur. Sauonarola tractat. 6. capit. 11. Sicut Rex in regno, ſic cor in medio pectore reſidet. Dryander in chirurg. Cor in medio pectore collocatur, extremitas vero cordis parum in ſiniſtrum latus inclinat. Varolius libr. 2. c. 9. In medio pectore cor ipſum eſt. Veſalius libr. 6. cap. 9. Cor in quadrupedibus non ſolum ſecũdum baſin, ſed etiam ſecundum mucronem in medio pectore ſitum eſt: in hominibus vero in medio quidem poſitum eſt, mucro tamen in ſiniſtrum latus vergit. Laurentius text. 27. Cor in media pectoris ſede locat̃, ſicut Rex in regia. Idem tex. 489. Mucro pericardij cartilaginibus ſterni inſeritur: Cũ igitur ſternum in medio ſit, & pericardium cor inuoluat, vtique & ipſum cor in medio erit. Idem text. 495. Cor ſitum eſt in media pectoris parte: quantum e-

nim

nim baſis diſtat à iugulo, tantum etiam a diaphragmate, quantumq; remouetur ab oſſe pectoris, tantum etiam à vertebrarum corporibus. Deniq; a dextris & ſiniſtris coſtis æqualiter abſcedit. Paræus lib. 3. Anatom. capit. 11. Cor in medio pectore ſitum eſt, putant tamen nonnulli illud magis deflectere in ſiniſtrum latus, quia illic eius agitatio percipitur, quamuis hoc fiat propter ſiniſtrum cordis ſinum, in quo ſunt ſpiritus vitales, item propter arterias pulſatiles, quæ ibidem oriuntur. Ceterum præter hæc luculentiſſima clariſſimorum Anatomicorum teſtimonia non deſunt rationes, quibus omnia iſta confirmari poſſunt, omiſſis tamen omnibus aliis, vnica nobis ſufficiat. Pulmones cordis gratia factos eſſe, & illud circum circa ambire, nemo vnquam negauit, vt nimirum calorẽ ipſius attracto aere frigido contemperent & fuligines expellant. Iam vero ſi cor in ſiniſtrum latus coniectum eſſet, ſequeretur vel maiorem pulmonum partẽ dextrum cordis latus occupare, vel ſi pulmo-

nes æqualiter cor ambiũt, vt certe faciunt, nõ poſſe partes pulmonis ſiniſtrum latus occupantes libere & æqualiter moueri & extendi. Proinde ſiue hoc, ſiue illud ſtatuatur, neceſſario ſequitur, ſiniſtram cordis partem, quæ tamen omnium Philoſophorum & Medicorum ſententia, dextra parte lõge eſt calidior, minus cõuenienter refrigerari & contemperari poſſe, id quod inter alios Gal. loco cit. 6. de vſu partium c. 7. obſeruáuit. Errauit igitur natura, quod parti minus calidę plura dedit refrigerãdi inſtrumenta, quam parti calidiſſimæ: Sin vtriq; parti æquales folles (vt ſic loquar) impertiuit, male fecit, quod inæquale ad extenſionẽ & attractionem aeris frigidi ſpatium conceſſit. Verum in hoc negotio tria paulo accuratius conſideranda ſuperſunt. Primum eſt, quod vocabula iſta (extremitas cordis in ſiniſtrum latus vergit, tendit, inclinat, exporrigitur, deflectit, reſpicit, &c.) minime hoc volũt, quaſi in ſiniſtrum latus omnino perueniat: nam ſi eo vſque perueniret, nimis magna, inuſitata

tata & monſtroſa cordis ſubſtantia eſſet. Hinc patet, Medicos quoſdam durioribus, alios conuenientioribus vocabulis vſos eſſe. Durior certe & impropria locutio eſt, cordis extremitas in ſiniſtrum latus exporrigitur; mitior & conuenientior eſt, extremitas cordis ſiniſtrum latus reſpicit. Sed neq; dura iſta locutio quidquam huic ſententiæ aduerſatur: quemadmodum enim non ſequitur, Petrus conſiſtit in monte & manum exporrigit in vallem: Ergo manus Petri eſt in valle. Sic minime ſequitur, cor ſitum eſt in medio pectore, extremitas vero cordis in ſiniſtrum latus exporrigitur: Ergo cor in ſiniſtro latere conſiſtit.

Alterum, licet cor ſua extremitate ſiniſtrum latus reſpiciat, maior tamen reſpectus haberi debet ad cordis baſin, quæ, vt recte monet Fuchſius, nobiliſſima ipſius pars eſt, quã ad mucronem, quem Gal. 6. de vſu part. c. 7. abiectiſſimum & ignobiliſſimũ vocat. Hinc etiã Laurentius loco citato inquit, melius baſi tanq̃ nobiliori, quam

mucroni a natura proſpectum eſſe. Tertium, quod pulſatio, quæ ſub ſiniſtra mamilla percipitur, minime eſt ab ipſo corde immediate, (hac enim in parte plurimos decipi certum eſt) ſed potius ab arteriis e ſiniſtro cordis ſinu emergẽtibus, & hinc inde in corporis habitum, parteſque cutaneas diſperſis. Cum enim cor in medio ſit, & capſula ipſius, quam Pericardium vocant, beneficio mediaſtini, ſatis a cordis ſubſtantia diuellatur, vix fieri poteſt, vt anteriorem capſulę partem, ſua pulſatione (de naturali & ſedata loquor) attingat: Ergo multo minus interna pectoris latera contingit, niſi extra propriam capſulam, quæ extremitate ſua medio pectoris oſſi annexa eſt, efferatur, & pulmones, quos cordi circum circa obductos diximus, valide & moleſte comprimat.

QVÆSTIO XIX.

An purulenta materia in Empyemate per ſiniſtrum cordis ſinum ad vaſa vrinaria deferatur? C. N.

INter alios Thoracis morbos, Empyema ſiue ſuppurationem in Thorace

ace collectã felici cum ſucceſſu inerdum per vias vrinæ euacuari expeimur. De via autem per quam ſuppuratio iſta ad veſicam & vaſa vrinaria deſertur, magna eſt Medicorum diſcrepantia: alii enim materiam iſtã putridam per venam cauam, alii per venã ἄζυγον tranſſumi docent, alii per ſiniſtrum cordis ſinum deſerri arbitrantur. Etſi autem omnes iſtæ ſententiæ intricatæ ſint, magniſq; difficultatibꝰ implicitæ: omnium tamen abſurdiſſima eorum ſententia eſſe videtur, qui tam impuram & fœtã colluuiem per ſiniſtrum cordis ſinũ deriuari arbitrantur. Cum enim, teſte Auicenna, & quotidiana comprobante experientia, cor ab omni fœtore grauiſſime afficiatur, nulla ratione ſine grauiſſimis animi defectionibus, eiuſmodi impurę materię trãſitus per ſiniſtrum cordis ſinum fieri poſſet. Hinc clariſſimus Mercurialis quæſtionem mouet, cur nimium homo non perpetuo febricitet, cum tamẽ perpetua ſit in inteſtinis putredo? ad quam idem doctiſſime reſpon-

det inteſtina nõ ſolũ procul eſſe a corde remota, ſed flexuoſa etiam & tortuoſa facta, ne ſi recta & plana eſſent, tetri & putridi vapores ſurſũ ad principalia viſcera liberrimo impetu raperentur, eaq; feriendo, varias ægritudines excitarent. Summus igitur rerum omnium fabricator Deus optimus, Cor nobiliſſimum totius corporis noſtri membrum non ſolum in medio tanquam regem collocauit, ſed etiam ab inferiore ventre vbi ciborum fit concoctio variaque excremẽta & impuri vapores efferũtur, ita diſiunxit vt ſubiecto diaphragmate quaſi muro interiecto ab omni fœtore & impuritate liberũ & imũne eſſet. Sed critice inqunt, fit eiuſmodi impuræ materiæ tranſitus. Ego, ſiue critice ſiue ſymptomatice eiuſmodi trãſitus fiat, dico, purulẽtam materiã, fœtorẽ, & impuritatem nõ deponere, ac proinde ſi non præſentiſſimum vitæ periculũ, febres tamẽ alioſq; morbos ex tali tranſitu cauſſari. Exemplũ nobis ſit impurus ille ſanguis mẽſtruus, qui ſtatis & periodicis tẽporibus per vterũ

excerni-

excernitur, quem nemo ex ſaniorib. medicis per eaſdem venas deferri fatetur, per quas alimentum fœtui in vtero exiſtenti communicatur, ſed per diuerſas: ſecus enim ſi fieret, venæ ab impuro menſtruo inquinarentur, & alimentum vitioſum & exitiale redderetur. Quapropter, quēadmodum impurus ſanguis menſtruus ſiue critice, ſiue ſymptomatice excernat̃, malitiam nũquam deponit, nec ſine fœtus periculo per eaſdem venas defertur, per quas imprægnationis tempore alimentũ ſuppeditari fœtui debebat: Sic neq; purulenta materia per ſiniſtrum cordis ſinum abſq; grauiſſimis ſymptomatibus deriuari poterit. Quinimo illi ipſi, ꝗ pus per ſiniſtrum cordis ſinum deferri arbitrãtur, propriam aſſertionem manifeſte impugnant, quãdo pro defenſione Galeni, qui ſanguinem melancholicũ per venas rami Splenetici in lienem deferri docet, minime affirmare verentur, ſanguinẽ melancholicum per venas deferri non poſſe, per quas aliōqui purus & defœcatus ſanguis fertur.

Quapropter ſi inquinamẽta in veni vteri ab impuri mẽſtrui tranſitu reli cta, ſubſecuturo fœtui piculoſa ſunt nec ſanguis fœculentus per eas vena deferri poteſt, per quas purus defer tur, vt ipſi fatentur, multo minus pu rulenta materia per ſiniſtrum cordi ſinum, qui nihil impuri, nihil fœtid ferre poteſt, ſed puriſſima omnia ma ximeq; elaborata requirit, vbi puriſ ſimi ſpiritus vitales elaborãtur, tranſ ire poterit.

QVÆSTIO XX.

An tempus vernale ſit ſaluberri- mum? C. N.

QVamuis Hippocrates vernalis tẽ poris ſalubritatem nobis paſſim cõmendat; experimur tamen eo ipſo anni tẽpore varios morbos in homi nes cuiuſcunq; ætatis & ſexus popula riter graſſari, vt nõ immerito Hippo cratis ſentẽtia in dubium vocari poſ ſit. At vero qui Hippocratẽ tuentur reſpondere ſolent, Hippocrati nun quam in mentẽ veniſſe, quaſi vernale tempus nullos omnino morbos, sed quod periculoſos & lethales nõ infe-

rat.

rat. Verum ſi eiuſdem Hipp. aphoriſ. 20.ſect.3.conſideremus æque graues & periculoſi morbi vernali tempore accidunt,ac aliis anni tẽporibus. Vere,inquit,fiunt inſaniæ,melancholię, epilepſiæ, ſanguinis profuſiones, anginæ,grauedines,raucitates,tuſſes,lepræ,impetigines, vitiligines,puſtulæ, tubercula, & arthritides. Huic morborũ catalogo libr. 1.de nat.hum.dyſenteriam quoq; annumerat. Etſi aũt huic quoq; nodo ſolutio nõ inepta ſit inuenta, quaſi nimirum cauſſæ morborum vernali tempore contingentium,non ex veris,ſed prægreſſæ hyemis natura exſiſtãt,&ſubſequẽte vere in actum erumpant:attamẽ, ſi rem paulo attẽtius examinauerimus, luce meridiana clarius euadet, graues & periculoſos morbos, etiam ex natura ipſius veris,plerunque generari. Ante omnia vero ſcire conuenit, annum in quatuor æqualia tempora, Æſtatem ſcil. Autumnũ,Hyemem & Ver diuiſum eſſe,ita,vt vnicuiq; tempori tres menſes lunares præſint:Cumq; mẽſis Maius æſtatis ſit initiũ, facta compu-

tatione, Ver ſub Februarium, Martiũ & Aprilem incidit. Iam vero ſi horũ trium menſium propriam naturã cõſideremus, facile apparebit, Ver etiã ex ſe ſuaq; natura varios & periculoſos morbos generare. Primum ex ipſo cõſtat Hippocrate lib. 1. de nat. hum. text.33. Ver calidũ eſſe & humidum. Quam vero huiuſmodi aeris tẽperies perniciosa, & ad omnis generis putridos morbos gignendos idonea ſit, nulla eget probatione. Quin imo in libris Aphoriſmorũ & Epidemiorum auſtrinã anni cõſtitutonẽ, hoc eſt, calidã & humidã, plurimis & periculoſis morbis occaſionẽ pbere legimus. Deinde aphor. 4. ſect. 3. inquit: Quãdo eadẽ die alias calor, alias frigus fuerit, autumnales morbos exſpectare oportet. Cum vero omnibus notum ſit, Menſe Martio & Aprili modo calorem, modo frigus, in vnam eandemque diem incidere, conſequens eſt, ver ſalubre minime eſſe. Addo, quod Aprilis ab aperiendo dictus, eo anni tẽpore, recluſis nimirũ & apertis terræ meatibus, putridis & malignis

exhala

exhalationibus liberum exitũ faciat, vnde corpora noſtra grauiſſime affici neceſſe eſt. Quapropter, vt Hippocrates ab huiuſmodi contradictionibus liberetur, ſic ſtatuendum eſſe arbitror: Hippocratẽ ſcilicet non Germaniæ, ſed Græciæ tempeſtates deſcripſiſſe. Cum vero in Græcia longe mitior ſit hyems, quæ vix menſem vnum atq; alterum, ſi ad noſtros menſes reſpiciamus, perduret, fit vt illę caloris & frigoris viciſſitudines, nec nõ recluſio meatuum terræ, minime in vernale tempus, ſed in hyemẽ potius, ſi modo æquali dierum numero anni tempora vtrobiq; metimur, neceſſario incidant, ac proinde morbi, quib. Martio & Aprili menſibus in noſtris regionibus ſubiecti ſumus, apud Græcos in fine hyemis contingunt. At vero, inquis, cum vel ipſius Hippocratis iudicio libr. 1. de nat. hum. ipſum Ver in genere calidum ſit & humidum, huiuſmodi vero temperies morborum feraciſſima ſtatuatur, nondum video, quomodo nodus ille ſolutus ſit. Ad hoc argumentum non ſolum

Galenus in commento, ſed etiam lib. 1. de temper. c. 4. reſpondet, tempora anni non ex contraria oppoſitione, ſed vnumquodq; ex propria ſua natura diiudicandũ eſſe. Proinde ſi maxime aliquãdo Ver humidũ & calidum contingat, ex propria tamen natura temperatum eſſe ſolet, vt nec humiditas, nec caliditas valde excedat. Sed reſtat adhuc alius ſcrupulus. Cum enim Hippocrates Aphoriſ. 9. ſect. 3. Ver omnibus morbis minime exitioſum eſſe dicat, contra vero lib. 3. Epid. ſect. 3. doceat, Ver omnibus ægris fuiſſe difficilimum, & plurimos abſtuliſſe, conſtabit, vtiq; Veris inſalubritas. Ad hanc obiectionem reſpondeo, Hippocratem in Epidem. tantum loqui de omnib. Phthiſicis, quorũ multos Ver abſtulerit. Deinde notãdum Hippocratem eo in loco, nõ in genere de natura Veris, ſed in ſpecie de illius anni peculiari conſtitutione agere. Quapropter, ſi Hippocratem de ſuæ regionis tempeſtate locutum intelligimus, nullius erroris inſimulari poteſt. Si vero verba ipſius ad Germaniæ no

niæ noſtræ tempeſtatem referamus, arbitror nihil abſurdius dici poſſe,

QVÆSTIO XXI.

An corpora paſta ciboque refecta grauiora ſint ieiunantibus & inanitis? C. N.

QVamuis delirantis eſſe videatur, corpora paſta leuiora, non paſta autem grauiora pronunciare, ſiquidem cibus aſſumtus pondus aliquod corpori adiicere videtur: attamen qui rerum naturalium cauſſas & euentus obſeruat & diligentius ſcrutatur, reipſa experitur, cibum aſſumtum nihil ponderis, ſed multum leuitatis adferre. Viator enim ieiuno & vacuo ſtomacho moleſtius & difficilius ponderoſum ſuſtinet corpus, cibo autem refectus, leuior apparet, & minori moleſtia corpus circumfert. Hoc ipſum beſtiæ agnoſcere videtur: equus enim ſeſſorem ieiunũ difficilius, paſtum vero alacrius ferre ſolet. Quinimo euidentiſſimum probationis exemplum habemus in emaciatis, a cibo abhorrentibus & diuturno morbo cõfectis

hominibus, qui triplo ſunt pondeio-ſiores, quam prius erant, quando alacriter cibum aſſumebant. Inuſitatum illud pondus animaduertens ignara alioquin plebecula, ægrum in ſummo vitæ diſcrimine verſari, intelligit. Huius rei cauſſam in vitales & animales ſpiritus referendam eſſe exiſtimo: nihil enim in vniuerſo corpore leuitate ſpiritibus aſſimilari poteſt, quippe qui ſua natura non deorſum, ſed ſurſum feruntur, & corpus ex ſua natura quaſi in ſublime ſuſtentant. E contrario autem corpora, quorum ſpiritus, vel inediis vel morborum iniuriis imminuũtur & affliguntur, longe grauiora, plane autẽ defuncta, ꝑꝑ ſpirituũ omnimodam diſſipationem, grauiſſimam fieri conſtat. Cum igitur cibus intra corpus aſſumtus non ſolum ſpiritus recreet, ſed regeneret etiã & adaugeat, merito corpora paſta leuiora, ieiunãtia, & inanita grauiora, mortua vero omniũ grauiſſima ſentiuntur. Sed cõtendis corpora defunctorũ eſſe leuiſſima, bene valẽtia vero grauiora, illa ſiquidẽ aquæ innatare, hæc

hæc ſubmergi cernũtur. Ad hunc nodum ſolutu ſatis difficilẽ, reſpõdetur, corpora viuẽtia nõ ſimpliciter eſſe leuia vel aerea, vt aquæ innatare ex ſua natura poſſint, ſed reſpectu ieiunantium, exinanitorũ & defunctorum, in quib. propter ſpirituũ paſſionem maior apparet grauitas & pondus. Quod vero ſubmerſorum corpora aquæ innatant, id fit nõ ſubito, nec per ſe, ſed poſt aliquot dies & ex accidenti. Primũ enim oppreſſis ſpiritibus innatis, corpus labaſcit, plane aũt deficientib. deorſum ruit & ſui pondere mergit', ibiq; ad tẽpus aliquod deliteſcit, donec in locũ caloris & ſpiritus vitalis, putredinalis quidã calor emergat, qui humiditates in vapores & halitus reſoluendo, corpus grauatum iterum leuitate donat, erigit & enatare facit. Immota igitur veritas eſt, corpora paſta ciboq; refecta ieiunis & inanitis leuiora eſſe.

QVÆSTIO XXII.

An animi mores per externam diſciplinam corrigi poſſint?

C. N.

NOn ſolum ſacrarum literarum ſed etiã politici magiſtratus ſtatutis ac legibus mores hominũ illaudati ſeuera diſciplina & pœnis conſtitutis caſtigari & corrigi iubentur. Verùm ſi Galeni mentẽ & communem experientiã conſideramus, diſciplinam licet maxima ſeueram ad corrigendos mores parum prodeſſe experimur: Mores enim, Galeno atteſtante, corporis temperamentũ ſequuntur, vt impoſſibile ſit, ſine immutatione temperamenti, mores ſola diſciplina corrigere. Scorpiones inquit, Galenus, & viperas ſine diſcrimine necamus, quia ex ſua natura pernicioſa ſunt animalia, nec ꝑ diſciplinam emendari poſſunt. Macrobius etiam autor eſt, naturam nulla arte emendari poſſe: vnde Horatius,

Naturã furca expellas licet, vſq; recurret,
Et mala perrũpet furtim veſtigia victrix.

Feroces Cholericorum animos nulla diſciplina mitigat, nec timiditatem Melancholicorum expellit. Conſideremus vnius præceptoris diſcipulos, pari inſtitutione educatos, hunc

tamen

tamen mitem, veracem vel timidum, illum immitem, mendacem vel audacem, vnum ſtupidum, alterum ſolertem & ingenioſum a natura & tēperamenti ſui ratione eſſe deprehendes, vt omnis diſciplina ſuperuacua & inutilis eſſe videatur. Diſtinguēdum tamē inter mores, qui a tēperamento ſimpliciter, & eos qui a conſuetudine dependent, (non enim omnes ad ſolū temperamentum referri poſſunt.) Mores, qui a ſolo dependent temperamento, per diſciplinam nullo modo mutantur, quod obſeruatio quotidiana teſtatur. Qui vero a mala conſuetudine oriuntur, iis ſi tempeſtiue occurratur, antequam in habitum degenerent, corrigi & emendari poſſunt.

QVÆSTIO XXIII.

An venenum artificioſe præparari poſſit, quod ore aſſumtum interdum quieſcat, ſecundum Lunæ vero mutationem in corpus ſæuire poſſit?

C. N.

NON ſine cauſſa homo homini Deus, & homo homini lupus, in

cõmuni prouerbio dici ſolet. Quem admodũ enim Deus iuuat, lupus vero perdit, ſic homo vtrumq;, iuuar ſcil. vel Deo ſic permittente, perder poteſt. Inter alias autem infinitas quas diabolus excogitauit, nocendi artes, non eſt poſtrema venefica, cuius vires humano ingenio vſque adeo occultari poſſunt, vt, quicunque arti veneficæ ſtudent, lupis, quos rapacisſimi dentes & aures produnt, longe ſunt deteriores. Cum enim tel præuiſa minus noceant, veneficia vero mirifice occultentur, fit, vt non ſolum improuidi & infimæ ſortis homines, ſed cautiſſimi quique Reges atque principes diabolicæ huius arti miniſterio frequenter e medio tollantur. Hinc Galenus non immerito damnauit Mendeſium, Orpheum Heliodorum Athenienſem, Aratum & alios, quod artem componendi venena ſcriptis tradiderint. Suſtulit hæc ipſa ars venefica, (vt hoc illorũ cauſſa interponam, quia ſuſpectis & incognitis miniſtris minus ſibi cauent,) inter alios innumeros Carolum Cal-

uum

um, Henricum Septimum, Arnol-
lum Bauirum, Ottonem Tertium,
Rom. Imperatores, Franciſcum item
Delphinũ, Catharinam Angliæ Re-
ginam, Guntherum comitẽ Schwar-
zenburgicum, alioſque complures
præſtantiſſimos Principes. Quemad-
modum autem venena variis modis
præparari & occultari poſſunt, vt vel
cito, vel tarde vires ſuas expediãt, ho-
mineſque vel ſine doloribus, vel cum
maximis cruciatibus e medio tollant:
hic quæritur: An venenum arte qua-
dam hunc in modum concinnari ac
præparari poſſit, quod non interimat,
ſed per certa temporis Lunæque in-
terualla in corpus ſæuiat, pectoris an-
guſtiam, anxietates, articulorum do-
lores faciat, vireſque ſuas nõ enecan-
do, ſed affligendo per aliquot anno-
rum ſpatia expediat. Noui equidem
nonnullos qui pocula amatoria præ-
parari poſſe contendunt, vt adamata
fœmina, cui poculum ſemel exhibi-
tum eſt, non indifferenter omnes, ſed
certas & deſtinatas perſonas, non o-
mni tẽpore, ſed certis & determina-

tis diebus, furioſo quodã amore pro
ſequi, & voluntati earum obtempera
re cogatur. Cum vero hoc ipſum o
pus longe difficilius ſit, quam vener
concinnare, quæ certis intervalli
Lunæque conuerſionibus in corpu
humanum carnificinam exerceant
affirmatiue hac in parte concluder
dum videtur. Atqui vtrumque hoc o
pus non ſolum obſeruatione incert
ſed ab omni etiã ratione eſt alieniſſ
mum: venenum ſiquidem ſemel e
hibitum, ſi maxime vires ſuas propt
frœnum iniectum ad aliquod tempu
occultare poteſt, quandocunque t
mẽ beneficio caloris noſtri, qui nu
quam otiatur, ſemel ad agendum in
citatur, quieſcere nequit, donec v
deuictum ſit, vel indeſinenter & om
nino deſæuierit. Addo venena no
per manifeſtas, ſed arcanas & ine
plicabiles qualitates operari, Luna
vero manifeſtis qualitatib. in corp
ra inferiora dominari, vt venena ſ
cundũ Lunæ curſum nec promou
ri, nec retardari poſſint. Si ſanguine
menſtruum hic aliquis obiiciat, q
ad L

ad Lunæ motum commouetur, reſpondeo, ſanguinem mẽſtruum non eſſe venenum, ſed copioſioris ſanguinis corruptum, & vitiatum excrementum, ac proinde menſtruum alique humores propter familiaritatem, quã habent cum Luna, motum illius non ſine cauſſa imitantur. Accedit quod nec venena, nec venenati morbi legibus aut methodo tenentur. Hinc Galenus cum tractatum de peſte promitteret, natura vero peſtifera & venenoſa examinata animaduerteret rerum venenatarum naturam nulla methodo, cuius Galenus ſemper fuit ſtudioſiſſimus, comprehendi poſſe, tractatũ pollicitum imperfectum reliquit, quanquam Rhaſis exiſtimet, librum quendam a Galeno de venenis editum eſſe, ſed temporum iniuriis interiiſſe. Hinc patet venenum nulla arte nulliſque legibus præparari poſſe, vt per incrementum vel decrementum Lunæ ad nouum paroxyſmum inferendum concitetur. Huc refero, quod venena ſunt deleteria; delent enim ſeu enecant

quocunque modo miſceantur, ne
natura eorum permittit, vt dolore
ſaltem periodicos ſine vitæ diſcrimi
ne inferant, præſertim cum tanta illi
us copia ſit exhibita, quæ multis anni
iteratos paroxyſmos exſuſcitãdo ſuf
ficiat. Huius ſententię fuit Aponenſi
lib.1.de venenis, Venenorũ eam eſſe
naturam inquiẽs, vt in minima etiam
portione homines interimãt. Deniq
operationes, quæ tempore determi-
nato perficiuntur, neceſſario proce-
dunt a facultate diiudicandi tẽpora
agere enim & perficere aliquid poti-
us in hoc, quã in alio tẽpore eſt opus
facultatis deliberantis & diſcurren-
tis. Atqui certiſſimum eſt in venenis
huiuſmodi facultatem nõ eſſe. Qua-
propter venena certo & determinato
tempore nullo modo operari, mul-
toque minus per interualla Lunę, no-
uos dolorũ paroxyſmos excitare poſ-
ſunt. Si minorem aliquis impugnet
per comparationem febrium perio-
dicarum, quæ periodum ſuam tam
accurate obſeruant, vt nõ ſolum cer-
tis diebus, ſed certis etiam horarum

momentis recurrant, licet facultatē diiudicandi tempora non ſint prædi-tæ. Sic dolores podagrici ſua plerunque obſeruant periodica tempora, licet nulla ſubſit prudentia vel facultas tempora diiudicādi. Quanquā vero in vniuerſa Medicina, meo quidem iudicio, vix aliquid maiori difficultate inuolutum ſit, quā vera periodicarum febrium cauſſa: ad diſſoluendum tamen hunc nodum, dico, nullam eſſe febrium recurrentium cum veneno ſemel exhibito comparationem: febres enim recurrentes dependent ab humoribus putreſcentibus, nec vnquā caloris febrilis notæ deliteſcunt, quam diu putredo perſeuerat. Quod vero ſingulis vel alternis terniſue diebus noui febrium paroxyſmi recurrunt, id fit propter nouas humorum corruptiones. Cum enim febres intermittentes ad veram inſeoricitationem perueniant, hoc eſt, cū in diebus intermiſſionis nulla amplius ſubſit putredo, ſed in die paroxyſmi noua fiat humorū corruptio, merito in die intermiſſionis nulla fe-

bris ſigna percipiuntur, quę alioquin perſeuerãte putredine, occultari non poſſent. Venenum autem ſemel exhibitum, & viſceribus inhærens modo quieſcere, & abſq; vllo malignitatis ſuę ſigno occultari, modo recurrere & ſæuire poſſe, ab omni ratione eſt alieniſſimum. Quantum ad dolores podagricos attinet, qui ſe plerunque ad Lunæ viciſſitudines accommodant, illi propter affinitatem materiæ humoralis cum ipſa Luna non ſine ratione eueniunt. At vero inter Venenum aſſumtum & Lunam nulla familiaritas excogitari poteſt. Indecorum igitur, & Philoſopho indignum eſſe arbitror, in morborũ inueſtigatione ad cauſſas occultas, quod vulgus hominum facere conſueuit, & veneni ſuſpicionem confugere, cuius tamen ne minima quidem probabilitatis ſpecies in medium afferri poteſt, cum e contra manifeſta, certa & infallibilia naturalium cauſſarum indicia ſeſe prodant, quando non oſcitanter, ſed accurate morborum cauſſæ inueſtigantur.

QVÆST.

QVÆSTIO XXIIII.

An podagra medicamentis externis ſine periculo tractari poſsit.

C. N.

FAciunt importunæ ægrotantium preces, vt medici omnibus quaſi norbis ad externa remedia, niſi inſaniæ & ignorantiæ notam ferre maint, tranſire cogantur: in podagricis ɔotiſſimum doloribus eo res rediјt, vt ιihil præclari ſecum agi, ægri exiſtinent, niſi multis modis extrinſecus ractentur, illinantur, emplaſtrentur, oucantur. Quam periculoſa vero ſit uiſmodi curatio, ij norunt optime, ui rerum naturam examinant, & eentus diligenter obſeruant: cum eim omnis podagra ex repletione fit, eaque vel calida vel frigida, inanione opus eſſe conſtat, quam per exernaremedia cuti impoſita, nulla raone conſequi poſſumus. At, inquis, nterdum ſymptomati ſuccurrere liet neglecto quaſi morbo, vel ipſius auſſa, vt inquit Gal. 12. meth: cap. 1. Quamuis igitur repletio per externa

remedia tolli non poſſit, dolor tamen demulceri & leniri pōt. At vero quotidiana praxis teſtatur, dolorē quoq; per externa remedia, vel omnino nō poſſe leniri, vel periculoſam eſſe lenitionem: ſi .n. maxime in parte affecta leniatur, centies videre licet maiores ſuccreſcere dolores in ventre, circa ſcapulas, præcordia, aliaſq; partes, vel etiam nouum humorū affluxum concitari, vt locū hic habeat, quod Celſus inquit lib. 2. cap. 6. Medicamēta morbum interdum deteriorē reddere: ſi enim ipſam rei naturā conſideremus, quid aliud eſt in calida podagra, applicare remedia frigida, quam poros cutis occludere, materiam ſæuientem intus veluti in carcere detinere? Hinc quāuis rubedo partis affectæ tollatur, & momentaneum leuamē ſentiatur, humiditas tamē illapſa in tophū concreſcit, omniſq; dolor paulo poſt exaſperatur. ſin, quod plerunq; acccidit, podagra frigida ſit, & remedia calida eaq; vel moderate vel ſumme calida applicentur, quis non intelligit ex uſu moderate calidorū materiā humoralē in flatus reſolui, q̃ furioſe hinc inde

diſcurrẽdo & partes neruoſas diſtendendo, pro vnius partis dolore, varios & multiplices excitent: Hinc ægros ſępe cõqueri audimus, podagrã ab articulis intra corpus ſe recepiſſe. Quæ vero ſumme calida ſunt, & rubificantia dicũtur præclare nõnullos iuuiſſe viſa ſunt, vel quia dolor per rubificantia excitatus, alium dolorem compeſcit, vt inquit Hipp. aph. 46. ſect. 2. vel quia e parte profunda ad exteriorem cutem doloris cauſſa euocatur, quod, niſi nouas humores affluxioẽs alliceret, nullam reprehenſionem mereretur. Hinc Aetius lib. 3. Serm. 4. cap. 9. nouũ humorũ affluxũ ex calidorum emplaſtrorũ vſu ſuperuenire pdixit. Melior igitur illorũ cõditio, qui nulla remedia externa vſurpãt, ſed idoneis internis remediis frigidorũ humorũ abundantiã auferre, calidorũ autẽ & ferocientium impetum refrenare vel per ſudorem elicere permittunt.

QVÆSTIO XXV.

An allium flatus gignat. C. N.

HIppoc. com: 4. de vict. ac tex. 90. nec nõ 6. epid. ſect. 8. tex. 33. Pli-

nius: item lib. 20. cap. 6. & Ruelliu lib. 2. de natura ſtirp. cap. 85. alliũ flatus generare docent. Dioſcorides vero, Galenus & Aetius allium contra flatus præſtantiſſimum eſſe remedium, literis prodiderunt. Hippocrati Plinii & Ruellij ſententiam confirmãt cœpę, quas Aegineta lib. 1. c. 76 & Orib. libr. 1. ſynop. capit. 18. ſub vno eodemque capitulo ad generationem flatuum & vomitiones conferre docent. Huc facit quod communiter experimur poſt comeſtionem cæparum & alliorum frequentiſſimos, excitatis flatibus, ructus fieri.

Verum cum clariſſima ſit Galeni doctrina lib. 3. de ſympt. cauſſis ca. 2, flatus fieri a ſuccis pituitoſis, vel cibis deficientem calorem habentibus, allium autem & cæpæ, nec deficientem calorem habeant, ſed manifeſte excedentem, nec pituitoſum humorem gignant, ſed eam qui tota natura pituitoſo humori repugnet, ſequetur abſurdam eſſe Hippocratis, Plinii & Ruellii ſententiam. Galenus vt Hippocratis auctoritatem in hac controuerſi-

nerſia tueretur, in com. de vict. acut. nquit librum iſtū non eſſe genuinum Hippoc. Idem de textu qui habetur. 5. Epid. reſponderi poteſt: cum enim vtrobiq; multa legantur quæ nec cum phraſi, nec doctrina Hippocratica conſentiant, fit vt libri iſti vel Hippocratis filio vel alicui ex diſcipulis aſcribantur. Ignorandum tamen non eſt, licet allium & cæpe per ſe & ex ſua natura flatus minime gignant, eo quod acria ſunt & calida, ex accidenti tamen, quando in corpus crudo phlegmate refertum ingeruntur, eo ipſo, cum phlegmata attenuare & reſoluere nituntur, flatus quoq; exſuſcitant, quos ſicut accidentaliter exſuſcitant, ſic per ſe etiam, ſuaque natura innati caloris beneficio diſſipant & conſumunt.

QVÆSTIO XXVI.

An glacies fiat a frigore. C. A.

Philoſophicum eſt paſſionem non niſi a contrario fieri; cum igitur aqua frigida ſit, quæritur an glacies, quæ ipſius paſſio eſt, a calore tanquam

a cōtrario generetur: Hoc cum dict
ſit valde ridiculum, dicunt nonnul
contrarietatē non ſolum in ipſa qua
litate contraria,ſed etiā in gradu diſſi
mili vnius eiuſdemq; qualitatis, con
ſiſtere: exemplum ſit hepar,quod ſu
natura calidum eſt,ſuperueniente ta
men fortiore calore inflāmari poteſt
Cōtra hanc ſolutionem datur inſtan
tia, magnā eſſe adducti exempli di
ſimilitudinem, epar enim licet cali
dum ſit,non tamen eſt calidiſſimum
ideoque ab accidentali, eoque inten
ſiore calore pati poteſt & inflāmari
aqua vero cum ſit elementum igni o
mnino contrariū, ſequetur quemad
modum ignis ſine controuerſia, eſt e
lementum calidiſſimum, ſic aquam
in ſe cōſideratam eſſe frigidiſſimam
& proinde ab alia frigiditate impat
bilem. Quapropter reſpondendum
glaciem fieri ab externo frigore,illu
autem frigus non refrigerando, ſe
incraſſando, & ſtringendo aquam i
glaciē conuertere. Quemadmodum
enim calor non ſolum calefaciendo
ſed etiam attenuando, reſoluendo &
comm

comminuendo, ab eoq; diuerſimode operatur: ſic etiam frigus non ſolum refrigerando quæ calida erant, ſed etiam condenſando & incraſſando quę fluida erãt, procedit. Aqua igitur non quatenus frigida, ſed quatenus fluida ab externo frigore patitur, & in glaciem vertitur.

QVÆSTIO XXVII.

An caro porcina facile concoquatur. C. N.

AEtius lib. 1. ſerm. cap. 121. carnem porcinã facile cõcoqui, memoriæ prodidit Ægineta. lib. 1. c. 84. Oribaſius lib. 3. c. 3. Itẽ Gal. lib. 7. meth. c. 6. carnem porcinã difficulter concoqui aſſerunt. Huic ſententię ſuffragatur ratio: eſt enim carnis porcinæ inſignis viſcoſitas, q̃ autẽ viſcoſa ſunt, difficulter & laborioſe concoquuntur. Hinc infertur non ſolum carnem porcinam, ſed cancros etiam, oua, limaces, farinam cum lacte in pultem coctam, omniaque alia quæ glutinoſo ſucco prædita ſunt, atteſtante Galeno, magno cum labore concoqui, quamuis, ſi concocta fuerint, præ-

clare nutriant. Vnde Actuar. lib. 7. d ſpiri. an. nut. ea quæ optime nutriun difficulter concoqui, & athletarur corporibus potiſſimum cõuenire do cet. Male igitur faciunt, qui indiffe renter in omnibus morbis, oua, can cros, & ſimiles difficilis concoctioni cibos præſcribunt, & vẽtriculis ægro rum multum laboris faceſſunt, cur non magis ad id reſpiciendũ ſit, quo bene nutrit, quam ad id quod cito & ſine difficultate cõcoquitur. Pro Ae tio interim reſpõderi poteſt, carnet porcinam, alioſque cibos quatenus c ri grati ſunt, & expetiti, vel vnicuiq familiares & vſitati, facile concoqu iuxta Aph. Hipp. 38. ſect. 2. nam qu cibus eſt cuique familiarior vel maio ri voluptate expetitus, eo arctius a vẽ triculo cõprehenditur & facilius con coquitur.

QVÆSTIO XXVIII.

An corporis exercitatio inſtituenda, quando cibi aſſumendi tempus inſtat.

GAlenus, Ægineta, Aetius, aliiq ex veteribus corporum exercita tione

ones ánte cibũ inſtituendas eſſe ſta-
uunt: cum vero tẽporis iſtius nõ exi-
ua ſit latitudo & plures inter vtrum-
ue paſtum horę interueniant, incer-
um & ambiguũ tempus determina-
um eſſe videtur. Magis igitur deter-
ninate Oribaſ. libr. 6. cap. 12. tem-
us exercitationi aptum illud eſſe de-
nit, quando iam alius cibus aſſumi
ebet, peractis ſcilicet omnibus cibi
rius aſſumti cõcoctionibus, tam iis,
uæ in vaſis, quam quæ in ventriculo
z hepate fiunt. Huius conſilij ea ratio
atur, ne cibus imperfecte coctus ad
nteriora viſcera, vi caloris per exer-
itium concitati, rapiatur, & multa-
um obſtructionum occaſio ſubmini-
retur. Verum cum eo ipſo tempore,
uo cibi aſſumendi tempus inſtat, ie-
una, exhauſta & famelica ſint corpo-
a, Hippocratis vero præceptum ex-
et aphor. 19. ſect. 2. laborandum ſeu
orpus exercendum non eſſe, vbi fa-
es ſit manifeſta inter medicæ artis
atres contradictio incidit. Ad tol-
ndam hanc contradictionem, di-
nguendum erit inter corpora pura

& impura. Pura corpora commod exercentur peractis iam omnib. con coctionibus : impura vero corpora propter ſubſequentium obſtructionem aliorumque malorum metum poſt factã in ventriculo & epate concoctionem, tutius exercentur.

QVÆSTIO XXIX.

An hominibus, vt ceteris animantibus, certum ſit pariendi tempus.

Concl. Neg.

COnſtat animalia certũ & definitum pariẽdi, fœtumq; excludendi tẽpus habere. Sus enim poſt quartũ a conceptione menſem; capra poſt quintum parit: cerua octo menſibus: camelus & mula duodecim: Elephas biennio, teſte Ariſtotele, fœtũ naturaliter vtero gerunt. Hinc veriſimile videtur, nec homini indefinitum aut incertũ pariendi tempus fore. At vero circa partum humanũ non dierum ſaltem, ſed menſium aliquot varietas incidit, vt recte dixerit Ariſtot. lib. 7 Hiſt. nat. ſoli homini incertum, varium & indefinitũ pariẽdi terminum

conce

onceſſum eſſe. Sin dixeris incertitu-
inem iſtam ex falſa perſuaſione, vel
ıepta mulierũ computatione proue-
ıire, cum enim ſoli homines certum
oeundi tempus, aliorum animãtium
nore, non obſeruent, fieri, vt fœminę
onceptionis tẽpus obſeruare, ac ꝓ-
nde certũ pariendi terminũ, compu-
ando, inuenire minime poſſint. Ve-
um quanquam fœminæ propter di-
tam rationem in computandis pa-
iendi diebus plurimũ fallantur, mul-
is tamen modis, non ſolum fida ho-
eſtarum matronarum relatione, ſed
ariis etiam caſib. forte fortuna inci-
entibus, nec nõ firmiſſimis rationib.
demonſtrationibus, hactenus ob-
ruatũ fuit, ſolius hominis partũ, de-
nitum tempus nõ habere. Conſtitu-
ĩ interim & receptũ eſt, ante mẽſem
. & poſt 11. fœminam naturaliter pa-
ere non poſſe. Septimũ equidẽ men-
m ꝙ attinet, habemus Hipp. aucto-
tatem, qui non ſolũ obſeruauit mu-
erem 7. menſe parere poſſe, ſed fir-
ıas etiam demonſtrationes attulit,
ptimeſtrem partum naturalem &

legitimũ eſſe. Huiuſmodi partus exemplum Lemnius de occaſ. naturæ miracu. recenſet, & diligens obſeruatio plura ſuppeditat. Octauum menſem quod attinet, expreſſa quidẽ eſt Hippocratis ſententia in libr. de carnibus octauo mẽſe natum nunquam vixiſſe, quaſi dicat mulierem octauo menſe parere poſſe, ſed non vitalem eſſe partum. Huc forſan reſpiciens Gellius lib. 3. noct. att. cap. 16. inquit, medicos ſtatuere neminem octauo menſe naſci. Valleſius quoq; in com lib. 3. Epid. ſect. 3. inquit, ſi quis octauo menſe editus dicatur, credibile eſt matrem conceptionis tempus ignoraſſe. Contrarium vero prodidit Ariſtoteles hiſt. nat. ca. 44. octauo menſe apud Ægyptios editos vitales eſſe Ipſe quoq; Galenus com. I. in 6. epid tex. 2. eos multum errare, inquit, qui menſem octauum pro legitimo & naturali pariendi termino non agnoſcunt. Sic Marſilius Fic. in principio lib. de vita cœlit. inſti. auctor eſt, vitalem partum Florentiæ octauo menſe editum eſſe. idem teſtatum reliqui

Varro

Varro lib.14. diuin. & Plin.lib.7.cap. 5. vbi Cæſoniã Caij principis vxorem octauo menſe editam commemorat. Accedit his omnibus Ceoclius Poeta comicus, inquiens.

Inſolet ne mulier decimo menſe parere?
Pol nono, etiam ſeptimo atque octauo.

Ad tollendã igitur huius partis diſcrepantiam, diſtinguendũ inter partum vt plurimum ſic editum, & eum qui rariſſime vitalis editur. Varro inquit, vitalem partũ octimeſtrem, quaſi monſtrum Romæ habitum fuiſſe. Deinde fieri poteſt, vt partus edatur in fine octaui menſis, quem Galenus pro vero octimeſtri, Hippocrates autem, quia finis octaui menſis a principio noni, parum abeſt, non pro octimeſtri ſed pro nonimeſtri partu agnouerit.

Circa noni & decimi mẽſis partum omnes conueniunt, quin imo nonum menſem ceu communiſſimum & vſitatiſſimum pariendi terminum conſtituunt. Decimi vero menſis meminit Vergilius: Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes, quaſi illo tem-

pore partus in menſem decimum na-
turaliter incidere conſueuerit. Eiuſ-
dem ſententiæ fuit Terentius in A-
delph. Grauida facta eſt, menſis hic
eſt decimus. Plutarchus etiam in vita
Antonij memoriæ prodidit, mulieri-
bus ante 10. menſem a morte mari-
torum nubere non fuiſſe conceſſum.
Accedit Hipp. lib. 5. Epid. tex. 13. &
lib. de natura pueri; vbi menſem deci-
mum pro legitimo & naturali parien-
di tempore recipit.

Vndecimo autẽ menſe mulierem
naturaliter parere poſſe, negarunt
quidam Iureconſulti. Gellius tamen
auctor eſt, Adriani imperatoris tem-
pore, Romæ fuiſſe mulierem hone-
ſtis moribus, nec ambigua pudicitia,
quæ vndecimo menſe poſt mortem
marti peperit, in quo caſu imperato-
rem, conſideratis medicorum decre-
tis, partum pro legitimo pronũciaſſe:
nec mouere nos debet quod Hippo-
crates in lib. de natura pueri, de octi-
meſtri & ſeptimeſtri partu, lib. de car-
nib. & lib. 5. Epid. in hiſt. mulieris La-
riſſæ, circa vndecimum menſem vari-
us fuit,

rius fuit: conſtat enim ipſum quandoque menſes Græcos, quandoq; menſes lunares reſpexiſſe, quod aliquam diuerſitatem parere poteſt.

Ceterũ præter dicta pariendi tempora, etiam duodecimi menſis ratio ab Homero habita fuiſſe legitur. Odyſ. λ vbi inquit:

Χαῖρε νῦν φιλότητι πεπλομένου δ' ἐνιαυτοῦ.
Τέξεις ἀγλαὰ τέκνα ἐπεὶ οὐκ ἀποφωλιοίσονται.

Gaude o mulier amicitia iſta, ſed 'bi tranſierit annus, procreabis libros legantes, quia Deorũ decubitus non unt vani & irriti, quaſi dicat, per duolecim menſium ſpacium vtero geres. ræterea Plinius lib. 7. c. 5. fœminam uandam mẽſe decimotertio. filium eperiſſe recenſet.

Auicenna quoq; auctor eſt, partum nenſe decimo quarto editum fuiſſe.)enique in Chronico Mansfeldico gimus, mulierem quandam per biennium grauidam, tandem puerum liciter peperiſſe. Quamuis autẽ huſmodi partus mõſtroſi & præternaurales videantur, tanta tamen eſt reim naturalium, amplitudo & poſſi-

bilitas, vt fides his rebus naturaliter e
tiam contingentibus, derogari non
poſſit. Experimur ve centeſimę cuiq
fæminæ, mēſe exacte abſoluto, men
ſtrua profluere: vterus enim prou
corpus diſpoſitum eſt, menſtruorum
expulſionem, per dies ſaltem aliquo
anticipat vel tardius excernit. Dein
de quemadmodum vnius eiuſdemq
ſpeciei fructus in diuerſis arboribu
diuerſis temporibus, ad maturitaten
perueniunt, ſic in vtero inæqualis fœ
tus formatio & perfectio fieri poteſt
Quemadmodum etiam ſemen tritic
diuerſis agris ſatum, quibus nec iden
fundus, nec idem ſolis acceſſus vel a
ſpectus, inæquali tēporis ſpatio, præ
ſertim, quando ſeminis quædam fui
diſſimilitudo, germinare videtur. Si
vteri ſeminiſque in vterum coniect
eadem conditio eſſe poteſt. Hinc mi
nime dubitandum, vterum frigidio
rem, accepto potiſſimum ſemine mi
nus elaborato, fœtum longiore tem
pore, calidum vero vterum, accept
ſemine melius elaborato, breuior
tempore excludere: medio modo v
teru

terus bene temperatus & diſpoſitus ad ſemen fæcundum ſe habebit. At inquis, cur eadem varietas in cæteris animantibus non apparet, cũ eaſdem ob cauſſas incidere poſſit? reſpondeo, cętera animãtia, nõ ſolũ in cibo & potu, ſed etiam in ipſo coitu magis ſibi temperent, maxima vero ſit hominum intemperantia & luxuria, fieri poteſt, vt circa conceptũ & geſtationem hominis, tales errores & varietates incidant, quas reliqua animantia minime patiuntur.

QVÆSTIO XXX.

An acetum calefaciat. C. N.

DE natura aceti tanta eſt medicorum & philoſophorum diſſenſio, vt difficilimum ſit ad veram aceti cognitionẽ peruenire: ſi enim ab effectis de cauſſis iudicium facere licet, ſine dubio acetum naturę erit calidiſſimę. Experimur ſiquidem, teſtæ ouorum aliaque ſolida corpora, aceto colliquari & molliſſima fieri. Hinc chymicæ artis profeſſores, margaritas, corallios & plura alia duriſſimæ ſubſtan-

tiæ corpora, aceto eliquare ſolent & reſoluere, quæ alioqui vix vlla alia arte eliquari poſſunt. Huius rei Annibalem nõ ignarum fuiſſe, teſtatur Liuius lib. 1. dec. 3. Cum enim inuias haberet alpes, nec ignis ad comparandum tranſitum ſufficeret, affuſo aceto duriſſima ſaxa eliquauit alpes penetrabiles fecit. Quinimo vrentem & corrodentem aceti facultatem cognoſcunt medici anatomici, qui ad demonſtrandas venas per epatis ſubſtantiam ocultatas, totum epar in aceto macerant, donec corrupta & exeſa carne, venæ in cõſpectum veniant. Hiſce omnibus ſubſcribit manifeſta aceti acrimonia & facultas ad remotiſſima quæque penetrandi, quæ caloris infallibilia ſigna eſſe putantur. Cum igitur iſti effectus caloris proprij ſint, non ſine cauſſa Ariſtoteles probl. 33. acetum calidæ naturæ eſſe pronunciauit. Aritotelem ex recentioribus ſequitur Fallopius qui cap. 18. de foſſilibus, acetum magnam calefaciendi facultatem poſſidere, ſcribit. Ex veteribus etiã Aetius in prin-

cipio

cipio libri ſimp.med. manifeſtam ca-
iditatem aceto attribuit.

Ex altera parte Hippocrates lib.3. de rat.vict. & Dioſcorides lib. 5. cap. 17. acetum ſimpliciter refrigerare teſtantur. Nec deſunt etiam effecta, quę exceſſiuam aceti frigiditatē comprobant. Primũ experimur acetum omnibus partibus neruoſis ſuaque natura frigidis, inimicum eſſe. In colica etiam paſſione alijſque morbis frigidis aceti vſus eſt pernicioſſiſimus. Præterea cum omnia acetoſa refrigerent, ipſum certe acetum minime calefaciet. Galenus etiam lib.1.ſympt.cap.19. docet, ſe ad impoſitionem Thapſiæ, inflammationem cutis excitaſſe, atq; vt vires aceti melius exploraret, præter acetum etiam alia, ad compeſcendã inflammationē, vſurpaſſe, ſed omnium aliorum, acetũ efficaciſſimum ad refrigerandũ medicamentum ſibi compertum eſſe. Interim tamē idem Galenus lib.cit.cap.24. acetũ neq; calidum neq; frigidum eſſe, docet. Hãc Galeni inconſtantiam ſequũtur Ægineta, Celſus, Oribaſius & alij, qui

acetum modo calidum, modo frigidum, plerunque tamen miſtæ facultatis eſſe pronunciat.

Ad componendam hanc controuerſiam, reſpondendum, ſæpe vni & eidem rei, propter diuerſas partes ei inherentes, diuerſas etiam & contrarias facultates ineſſe, quēadmodum lacti ineſt aqua, buturum & caſeus, vnde diuerſę vires lacti inſunt. Interdum etiam vni rei ſine miſtura diuerſarum partium diuerſus ineſt ſapor & qualitas diuerſa. Huius rei exemplum habemus in roſis, quib. dulcedo quędam & amaritudo ſimul, ac proinde diuerſæ qualitates inſunt. In hiſce tamen rebus vna qualitas ita ſemper excedit, vt ab illa exceſſiue ſit facienda rei denominatio. Cum igitur in aceto aciditas maxime excedat, merito Hipp. acetum ad claſſem refrigerantium retulit. Galenus vero, acerrimus rerum naturaliū ſcrutator, quando ipſam aceti acrimoniam ſimul expendit, aliquem ei calorem aſſignat. At inſtet aliquis, Galenū lib. 4. ſimpl. cap. 3. aceti calorem maxime extollere, fa-

re, facta nimirum aceti cum cineribus comparatione: quemadmodum, inquit Galenus, in cineribus factis ex ligno per combuſtionē corrupto, manifeſta ineſt caliditas, ſic etiam in aceto facto ex vino per putrefactionem corrupto manifeſta caliditas remanet. Sed, pace Galeni, corruptionem ligni per combuſtionem factam comparare cum corruptione vini facta per putrefactionem, abſurdum eſſe dixerim: quæ enim comburũtur, etiamſi per ſe frigida ſint, aduſtione tamen calorem acquirunt: quæ vero per putrefactionem corrumpũtur, omnem calorem deperdunt, quod ipſum Galenus 11. meth. cap. 8. & alibi paſſim non diffitetur. Hinc acetum, vinum mortuum non inepte nominatur. Cum vero ſine deſtructione caloris nihil mori poſſit, conſtare arbitror, ratione quidem putrefactionis, nihil caloris aceto ineſſe poſſe.

Ad diſſoluendũ hunc nodum dixerunt nonnulli, magnã eſſe aceti differentiam: interdũ enim acetum a vino maluatico vel alio generoſo, interdũ

etiam a vino tenui & ſimplici, cereuiſia, item pyrorum & pomorum ſucco fieri: primi generis acetum ſine dubio manifeſtam caliditatem retinere, ſecundi vero generis acetum ſimpliciter frigidum eſſe. Verũ iſta reſponſio propoſitę difficultati & cõtradictioni in verbis Gale. minime ſatisfacit: Galenus .n. de vini ſaltẽ aceto loquitur. Reſpondendũ igitur Galenum lib. 1. ſympt. ca. 19. cõſiderare acetũ in ſeſe, & ſecundũ naturæ ſuæ eſſentiã, lib. 4. autem ca. 3. conſiderare acetũ q, diuturnitate tẽporis inſignem acquiſiuit acrimoniã, cuius ratione, calefaciendi facultas emergit: eſt enim expreſſa Galen. ſentẽtia lib. 3. de cõp. med. loc. vinum, mel, acetũ, adipẽ & oleum, vetuſtate acria & calida fieri. Quaprópter acetũ per ſe & ſecundũ omnium aliorum acetoſorum naturã, maxime refrigerat, per accidẽs autẽ, ſuperueniente vetuſtate, aliquam acrimoniam & per cõſequẽs obſcurã calefaciendi vim acquirit, quæ cũ eſſentiali aceti frigiditate minime cõparari põt.

Ad argumenta igitur ab effectis in

contra-

contrarium adducta, reſpõdetur: primum acetũ teſtas ouorũ proprie non colliquare, ſed diſſoluere & cõminuere, ſimili ſcil. modo, quo renũ & veſicæ calculi, acetoſo vitrioli ſpiritu, quo nihil æſtum febrium ardentiũ melius compeſcit, comminuuntur & diſſoluuntur. Addatur etiam hoc, nõ ſolum manifeſtas, ſed occultas etiam rerum qualitates maxime cõſiderandas eſſe: videmus.n.adamantẽ omnium gemmarum duriſſimũ, ſolo ſanguine hircino emolliri, quẽ nec maluaticum, nec alia decuplo calidiora, emollire poſſent. Chymicorum autẽ operatio, non ſimplici aceto, ſed laborioſe præparato & rectificato, perficitur. Quod de Annibale ſcribitur pro figmento potius quã ꝓ vera hiſtoria habẽdum: nuſquã enim, multo minus in alpium anguſtiis & difficultatibus tanta aceti copia dabitur, q̃ immacerãdis alpium ſummitatibus ſufficiat, ſimplex vero aceti affuſio nihil proderit, niſi ſaxa diſſoluẽda iuſtam morã in aceto traxerint. Ad illud deniq; anatomicorũ artificium, quo ſubſtantia epatis in aceto conſumitur reſpõdetur ex Gale-

no lib. 5. ſimp. ca. 15. multos eſſe corrumpendi & cõſumendi modos, nec omnia ſolis cauſticis, ſed narcoticis etiam & putrefactoriis medicamẽtis corrumpi.

QVÆSTIO XXXI.

An mores nutricum cum lacte a puerulis imbibantur. C. N.

PRima puerperarum noſtrarũ, quæ vel ipſæ lactare nolũt, vel nequeũt, cura & ſolicitudo eſſe ſolet, vt recens natis, nõ minus de bonæ famæ, quam boni corporis habitus nutrice circũſpiciant. Sunt enim in ea ſententia, nutrices lactentibus vna cum lacte, mores quoque ſuos & ingenia quaſi infundere, & communicare, ita vt impudica, & Veneri dedita nutrix, puerulum etiam impudicũ, & Veneri deditum reddat. Hanc ſententiam Aetius lib. 1. ſerm. 4. cap. 4. non videtur improbare. Requirit enim nõ ſolum boni temperamẽti, & iuſtæ ætatis nutricem, ſed caſtam etiam, ſobriam, & manſuetã, vt tam ad animum, quam ad corpus reſpexiſſe videatur. Nec infir-

infirmum argumentum eſt, puerulos animi affectibus ſuarum nutricũ participes fieri, cum econtra videamus, eos magis erga matres nutrices, quam erga patres affectionatos eſſe, quod ſine dubio fit, ratione nutritionis, vnde animi eiuſmodi affectus implãtantur. Tertia ꝓbatio a conſuetudine veterum deſumi poteſt, qui ſeruis ſuis malitioſis, & ſceleratis, venam ſecabant, exiſtimantes extracto ſanguine, ceu malorum fomite, inhoneſtos & illaudatos animi mores corrigi poſſe. Cum igitur mores illaudati a ſanguine proueniant, nihil obſtat, quo minus lac, quod aliud non eſt, quam ſanguis in mamillis coctus, & dealbatus, ad formandos puerulorum animos conferat.

Denique vſitatum eſt Medicis ad excitandam venerẽ, exhibere de parte genitali cerui, tauri, de teſticulis apri, cerebro paſſerum, teſticulis gallorum, & ſimilibus venereorum animalium particulis. Cum igitur vis aliqua excitandi venerem partibus iſtis inſit, abſurdum dictu non erit, lac quoque

nutrici veneri deditæ, libidinoſos & venereos reddere. Quamuis autem rationes adductæ, aliquã probabilitatis ſpeciem habere videantur, adducor tamen vt credam, vanam, ſuperfluam, & minime neceſſariã eſſe puerperarum ſolicitudinem. Si enim ab alimẽto ingenia & mores formantur, ſine dubio monachi, qui ſolis veſcuntur piſcibus, iã cellas ſuas deſererent, & aquis innatarent, quique ferius carnibus nutriuntur, ſylueſtres & ferinos mores aſſumerent, hic porcorum, ille vaccarum naturam imitaretur. Pro Aetio interim reſpondetur, ipſum non ad animi, ſed corporis vitia, ex intemperanti & luxorioſo vitæ genere prouenientia, reſpexiſſe: lac enim nutricis veneri, vel vino alijſq; erroribꝰ exceſſiuis deditæ, varijs modis corrumpitur, vnde ſanitas lactentis firma eſſe nequit. Amorem alioſq; animi affectus quod attinet, quibus pueruli matrẽ potius quã patrem proſequuntur, minima nutritioni, ſed aliis potius cauſis externis, vtpote officijs maternis & blanditijs imputari debent,

quibus

quibus ætatem tenellam ſibi potius quam parenti deuincire ſolent. Ad antiquam vero ſecandę venæ conſuetudinem reſpondetur, eſſe potius antiquam ſuperſtitionem vel ceremoniam,ad ignominiã vel pœnam ſceleratorum ſeruorũ excogitatã: Quamuis dubium non ſit,ſi per ſectionem venæ temperamẽtum corrigi poſſet, mores etiam, a temperamento prodeuntes,immutari poſſe. Quam vero difficile ſit, ne dicam, impoſſibile, vnica præſertim ſectione venæ, vniuerſum temperamentum immutare, quis nõ agnoſcit? Eiuſdem valoris eſt argumentum quartum,ſcilicet ſuperſtitioſum magis, quam rationi conſentaneum, magnas ad incitandam venerem, iſtis animaliũ partibus, ineſſe vires, vtcunq; tamen ſit,diſſimilis eſt conditio eorum, qui ad incitandam venerem, medicamentis iam vtuntur, & eorum qui ante 20. vel 30. annos tale quid hauſerũt. Medicinarum enim vis & facultas in tot annos extendi & durare nequit.

RELATIONES HISTORICÆ CONTINENTES CAſus partim inauditos, partim rariſſime in Medicina contingentes.

CASVS PRIMVS.

De clauicula in calculo veſicæ reperta.

ADmirabilis omniq; obſeruatione digniſſimus caſus accidit Eſchueci Haſſiacę ditionis oppido, vbi clauſtrarius quidam iuuenis, ingenti calculi dolore victus, ſibiipſi manum iniecit, veſicam amplo vulnere diſſecans, calculumq; manibus exemtum in terram proiiciens. Cum vero tenuioris eſſet fortunæ, calculũ exemtũ Illuſtriſſimo Haſſiæ Principi Guilhelmo tranſmiſit, rem actam exponens, humilimeque orans, vt inflictę vulneris conſolidationem Chirurgo ſuo aulico demandet. Illuſtriſſimus igitur Princeps indignam miſeri hominis ſortẽ reſpiciẽs, Chirurgo mandat, vt afflictum hominem diligenter curandum ſuſcipiat. Ipſe vero Princeps calculum oui magnitudinem æquan-

equantem malleolo confringit, vbi nagna cum admiratione clauiculam n medietate calculi tenaciſſime impactam reperit. Huius rei nouitate commotus optimus Princeps, conuocatis aliquot Medicis, diligenter nquirit, quomodo clauicula per tot ınguſtos meatus ad veſicã peruenerit. Cum enim clauſtrarius eſſet, omnium fuit ſententia, clauiculam aliquando per imprudẽtiam ab ipſo fuiſſe deglutitam. Hinc patet, meatus n viuentibus corporibus longe patentiores eſſe, quam in mortuis. Alioquin impoſſibile fuiſſet clauiculã tot nguſtias penetraſſe.

CASVS II.

e tribus calculi fragmentis per aluum excretis.

VXor Andreæ Zahn, ciuis Durlacenſis in quintum menſem grauida, magna ſuſtinebat ventris tormina. Exhibitis igitur medicamentis urgantibus, excreuit tria calculi framenta coloris cinericei, ſubſtantiæ ıræ & ſpongioſæ, magnitudinis di-

midii oui, coniunctis nimirum tribus partibus, ponderis dimidiæ vnciæ. Hinc cernere licet, calculum non ſolum in renibus & veſicam, ſed etiam in variis aliis partibus humani corporis generari poſſe.

CASVS III.

De lumbrico cum vrina excreto.

MAlſchii Wirtembergicæ ditionis oppido decumbebat Anaſtaſius Corninger conquerens de difficultate vrinandi. Vrina interdũ ſupprimebatur, quandoq; guttatim prodibat, quãdoq; etiam aliquot ſanguinis guttulæ excernebantur. Cũ igitur putarem hominem alioqui robuſtum calculo laborare, exhibui ſemel atq; iterum ſyrupum Altheæ cũ aqua feniculi, vt meatus laxiores & ad excludendum calculũ aptiores redderentur. Verum, dum ego calculi alicuius excretionẽ exſpecto, ille lumbricum longitudine dodrantẽ fere excedentem cum mediocri ſanguinis & vrinæ profuſione excernit, Difficile equidem eſt ſtatuere, vbi hic lumbricus

eneratus ſit. In veſica enim ab acri & nordaci vrina nunquam vacua, vix redibile eſt, viuum animal, præſerim quod ex putredine naſcitur, generatũ eſſe (Vide Gal. lib. de atra bile ap. 3.). Simile quid ferme accidit cuilam mihi optime noto, qui cum vteetur acidis fontibus Schwalbacenſius circiter 30 vermiculos iis ſimiles ui in putridis generantur caſeis, cum rina reddebat.

CASVS IIII.

De menſtruo per aluum periodice excreto, aliisque inuſitatis euacuationibus.

BEnshemii aliquãdo ſub cura mea fuit honeſti cuiuſdam viri conſuaris vxor ſterilis, cui menſtrua perioicis temporibus per aluũ prodibant. Iæc excretio licet naturalis non ſit, lures tamen euacuationes per inſues vias natura quandoque feliciſſime omouet. Refert Ambroſius Paus vxori ſuæ adhuc virgini menſtrun ſanguinem, obſeruata naturali eriodo Lunæque recurſu, per nas cum maxima virginis facilitate

& tolerantia profluxiſſe. Simile quic
notaſſe videtur Hippocrates lib. 5
aphor.33. Idem Paræus etiam hiſtori
am vxoris Petri, Caſtrodunenſis, cu
menſtrua per mamillâs ea copia, qu
alioqui per vterum ferri ſolebant, or
dinarie prodierunt. Sic pectus lice
per tuſſim naturaliter repurgetur, ſæ
piſſime tamen pectoris vitia per veſi
cam terminantur, teſte Gale. com.2
in 1. Epid. tex.13. Hoc ipſum obſerua
ui Patauii, vbi cuidam poſt acceptun
vulnus in thoracem penetrãs, ſangui
per vrinam excernebatur. Idem acci
dit Etlingę in Marchionatu Baden
ſi. Præfectus enim illius loci Ioanne
Guilielmus Kraus faciendo iter, ceſ
pitante equo in foſſam cũ equo præ
cipitabatur, cõpreſſoq; thorace, poſ
integrũ a caſu menſem nõ ſine maxi
mis cruciatib. ſanguinẽ cum vrina ex
cernebat. Sic pulmonis vomicã per v
rinam, pectoris vero per aluũ termi
nari docuit Gal. l.6. loc. aff. cap. 4. E
Hippoc lib.7. Epid. tex. 84. Pleuriti
dis quoque materiã in veſicam tranſ
ſumi præter Hippocratem lib. 3. d
morb.

morb. id teſtantem, noſtro tempore, graſſante pleuritide, ab aliis etiam obſeruatum eſt. Eiuſdem thoracis morbos etiam per vteri excretiones terminari Hippoc. lib. 7. Epid. tex. 88. memoriæ prodidit. Denique etſi Galenus lib. 13. method. ſtatuat, nullum eſſe ex liene ad vaſa vrinaria meatum vel tranſitum, Hippoc. tamen lib. 2. Epid. ſect. 2. in hiſtoria Bionis, item lib. 3. epid. ſect. 2. in hiſtoria illius, qui ab Alcibiade venerat, nec non lib. 7. Epid. in caſu illius, qui decumbebat in Olyntho, annotauit, lienem per vrinã feliciſſime expurgari. Etſi igitur arcani corporis meatus oculis noſtris minus patent: prouida tamen natura inſuetas etiam & occultas vias, vrgente neceſſitate, inueſtigare poteſt.

CASVS V.

De conuulſione diuturna cum amiſſione loquelæ ad ambuſtionem pectoris facta.

FIlia Fabiani Coleri inferioris Præfecti Alzæani annorum XI. integre, vt quidem putabatur, ſana, media

hyeme ad focum ſedebat, cui ancill
ex incuria aquam in cacabo bullien
tem ad pectus fundit, eiulanti ver
puellæ aquam frigidam affundit. A
curandam illam ambuſtionem em
plaſtra, neſcio, quæ, per dies 14 a ma
tre adhibebantur. Cum vero oculo
mire inuertere, dentibus ſtridere, ma
nibus pedibuſque conuelli incipe
ret, articulata etiam voce priuaretu
in conſilium vocatus ſum. Ambuſtio
nem primum conſideraui, quam o
mnium malorũ originem eſſe dome
ſtici ſibi perſuaſum habebant. Ambu
ſtio vero leuis erat, quæ vix ſumman
cutem a clauiculis vſque ad diaphra
gmatis regionem, maxime vero oſſi
cartilaginoſi, quod στέρνον vocãt, ſuper
ficietenus læſerat. Cęlo exſiſtẽte ſere
no, mitiores & tolerabiliores eran
cõuulſiones: humido vero & pluuio
ſo exſiſtente, non ſolum exaſpera
bantur, ſed glandulæ etiam mirific
intumeſcebant, caputque ſcabie ten
tabatur. Etſi autẽ in præſeruationem
Epilepſiæ, quæ imminere videbatur
curationem etiã conuulſionum, mul

a multorum iudicio & conſilio adhi-
ita ſunt: a conuulſione tamen nun-
quam liberari, nec vocẽ articulatam
ecuperare potuit. Sic variis conuulſi-
onibus, & quaſi geſticulationib⁹ cum
oquelæ amiſſione, mente ſemper
onſtante, in ſeſqui annum protra-
tis, tandem ex hac vita in cæleſtem
nigrauit.

CASVS VI.

De ancilla repente obmuteſcente.

ERat quædam iuuencula ancilla, quæ Spengelio Freymersheimen- inſeruiebat. Hæc menſe Februario nni 1596. ſæuo vrgente gelu, colum multam noctem pro more conſue- exercebat, cumque integre ſana e alido exiret hypocauſto, vaccis pa- ulum præbitura, ſtatim muta rediit, utu aliiſq; geſtibus ſignificans ſe lo- ui nõ poſſe. Audiebat interim & in- lligebat omnia. Attoniti, qui ade- it, domeſtici, tertia demũ die, poſt bmutuit, rem actã exponunt & con- lium requirunt. Huic ſudoribus cre- o excitatis loquela rediit.

CASVS VII.

De iuuene poſt exiguum vulnus ex-ſpirante.

IOannes Beckler Illuſtriſſimi Principis Domini Erneſti friderici marchionis Badenſis cubicularius, homo ſanguineus, ad iram tamen pronus, aliquãto cũ nobili puero gladio obtuſo pugilũ more cõtendebat, cumque puer cubicularium ſub oculo ſiniſtro leuiter vulneraſſet, vulnere ſolam palpebram inferiorem penetrante, oculique exteriorem tunicam, quam albuginem vocant, parum contundente, ille ſive ira percitus ſiue dolore victus, abiecto gladio humi procũbit, in lectum delatus nihil loquitur, poſt aliquot vero horas fortiſſimo epileptico paroxyſmo correptꝰ obiit. Poſt mortem, ablato cranio, examinatoq; diligentius vulnere, nulla læſio, præterquam quæ exterius quoque videbatur, deprehenſa fuit. Sic Alzææ qui publicæ præerat molendinæ, a ſeruo ſupra caput ligone percuſſus, & chirurgo traditus, quam plurimis ſuper-

uenien-

uenientibus paroxyſmis epilepticis, tandem confectus exſpirauit. Mandante igitur magiſtratu ſuperiore, vt vulnus inflictum, detecto cranio, diligentius examinaretur, aſſumtis reliquis Chirurgis, deprehendimus vulneratum pericranium, vulnere penetrante vſq; ad medietatẽ cranii. Parte autem cranii ablata interius varias fiſſuras obſeruauimus: erat etiam oſſiculum exteriori cerebri membranæ, quam duram matrem vocant, leuiter impactum.

CASVS VIII.

De pica cuiuſdam Virginis.

PIca, ſeu malacia, vt Plinius loquitur, eſt vehemens quædam concupiſcentia, prægnãtibus fæminis familiaris, qua vel cibos quoſdã vel etiam res inedules miro ardore deſiderant, adeo vt ſæpe abortus periculum immineat, ſi res deſiderata denegetur. Etſi igitur mulieribus prægnantibus hoc malum ſit familiare; novi tamen puellam 12. annorum, filiam Præfecti Alzæani Ioannis Reuteri, quæ lutum,

quo fornaces glutinantur, & calcem de parietibus abraſam tanto deſiderio deuorabat, vt nullis nec verbis nec verberibus, quamdiu vixit, ab iſto appetitu cohiberi potuerit.

CASVS IX.

De grauiſsima & diuturna arthritide poſt dyſenteriam & Ophthalmiam.

STrenuus quidã Nobilis pleno corporis habitu vtebatur acidis fontibus, corpore nec ante, nec poſt conuenienter purgato. Poſtquam vero per aliquot ſeptimanas, acidulas aquas bibiſſet, in dyſenteriam incidit: remittente autem dyſenteria, vtriuſque oculi ophthalmia corripiebatur, a qua nondũ perfecte liberatus, dolere cœpit in brachij cũ radio iunctura, deinde in metacarpio, tandem etiam in vtroque genu & malleolo cum manifeſta dictarum partiũ inflammatione, mediocri tumore & conſpicuo rubore. Cũ igitur patiens ſcire cuperet, quo morbi genere laboraret, reſpõdi, ipſum

ipſum laborare arthritide, quam indifferenter noſtri podagram vocant. At vero obiecit ille, neminem ſuæ familiæ podagræ obnoxium, neque ſe vnquam alias tales dolores paſſum eſſe: addebat, podagricos dolores tam diu durare non ſolere. Quaſi vero accidentia illa, vt vulgus ſibi perſuaſum habet, morbi articularis eſſentiam conſtituant. Protractis igitur doloribus illis in diem triginta circiter, cum patiens ab omnibus internis medicamentis abhorreret, eſſetq; ex præcedẽte dyſenteria & ophthalmia grauiter debilitatus, tandem ſuperuenit iuuenis quidam circumforaneus ſub magna pecuniæ ſumma, certum remedium ad dolores Podagricos ſex horarũ ſpatio tollẽdos, nefario compromittens. Sic nobiliſſimus patiens non ſolum homini nugaciſſimo credit ſe podagra laborare, ꝙ antea ſibi perſuaderi nõ patiebatur, ſed corpus etiam, ſuæ curę cõmittit. Remedium, quo vtebatur, erat ſpiritus vini rectificatus, in quo varia aromata, ambra & ſemina quædã calefaciẽtia macerata,

iterumque per alembicum extracta erant. Spiritu iſto iuncturas dolentes multoties in die fouebat. Etſi autem initio dolores mitigari videbantur: paulo tamen poſt intendebantur, nouis nimirũ fluxionibus indebilitatas iuncturas vi medicamenti concitatis. Sed quo magis dolores inſtabant, eo magis impoſtor ſpiritu ſuo vtebatur. Hinc factum eſſe nullus dubito, quod in alterum vſque annum difficulter incedere, & inambulare poſſit. Simile quid Pataui accidebat Monacho cuidã gonagra decumbẽti, qui, poſtquam aliquandiu vſus eſſet alterius Medici conſilio, tandem Albertinum Bottonem vocari curabat. Is prima viſitatione diligenter inquirebat, an corpus vniuerſaliter purgatum eſſet. Affirmãte Monacho, Medicus ſic perſuaſus calcẽ ad diſſipandas fluxionis reliqas apponit. Poſtero die cum rediremus, genu ad humani capitis magnitudinẽ cum dolore intolerabili intumuerat. Patet igitur periculoſum eſſe, calidiſſimis eiuſmodi pharmacis vti, pſertim quan-

do a

do ab imperitis impoſtoribus temere ſine omni iudicio vſurpantur.

CASVS X.

De Imperitia Emplaſtrorum applicatione.

GEenerofus quidam Baro patiebatur Eryſipelas œdematoſum in crure: cumque Argentoratum ablegaretur, valetudinis ſuæ rationem habere non potuit. Confecto itinere, incidit in chirurgum quendam Argentinenſem, qui vniuerſo cruri emplaſtrum quoddam ex reſinis paratum dies noctesque geſtandum vndiquaque agglutinabat, perſuadés generoſo Domino, inflammationem breui remiſſuram. Domum reuerſus volebat emplaſtrationem continuare, de periculo autem maioris humorũ affluxionis, nec non de ſubſecuturis vlceribus admonitus nõ potuit perſuaderi, vt emplaſtra reiiceret, donec ingens cum maximis cruciatibus & vigiliis oboriretur vlcus, quod ſane nũquam ſuperueniſſet, ſi copioſior materia vel non attracta fuiſſet, vel per

poros cutis libere tranſpirare potuiſ-
ſet. Occluſis vero per emplaſtratio-
nem poris cutaneis attracta materia
neceſſario in pus conuerſa fuit. Ab eo
tempore per biennium ſubſequens
ad mortem vſque ingentes dolores in
crure iſto perpeſſus eſt. Quantum ve-
ro referat, poros cutis, in parte ſana a
tumore non obſeſſa, apertos tenere,
non ſolum ex priore ſimplici tumore,
ſed ex ſequentibus etiam malignis &
peſtiferis imperitia ſimili tractatis, ap-
parebit. Decumbebat Alzeæ hone-
ſta quædam fæmina, Domini Felſii v-
xor, tumorem peſtilentialem in crure
ſuſtinens, qui cum ad ſuppurationem
iam perueniſſet, in partibus vero vlce-
ri vicinis ardor aliquis & pruritus in-
feſtaret, Chirurgus me inſcio non ſo-
lum partibus vicinis, ſed ipſi etiam vl-
ceri vnguētum caruſſæ applicat, vnde
peſtifera exhalationes ad cor regur-
gitantes optimam fæminā in grauiſ-
ſimas animi defectiones de nouo prę-
cipitarunt, ac niſi vnguētum mox ea-
dem die remouiſſem, in certum vitæ
diſcrimen deuentura erat. Alius qui-
dam

am vlceribus Gallicis infrigidantia
: repercutientia imponebat empla-
ra, vnde repreſſis virulentis exhala-
onibus, horrendæ ſubſequebantur
ɔnuulſiones, quibus æger tandem
ɔnfectus exſpirauit. Poſſem hic plu-
eiuſmodi commemorare exempla,
e inſigni Chirurgorũ Germaniæ no-
rę inſcitia, cui non inferior eſt teme-
tas, qua commoti plerunque de re-
ıs ſibi incognitis iudicant, interno-
ım morborum curationem ſuſcipi-
:ntes, cum vix externos morbos
oculis expoſitos recte
curent.

FINIS.